



Ge. 32.





**OTTONIS PHILIPPI
ZAUNSCHLIFFERI,**

Jcti, Syndici, ac Professoris Eloqu. & Histor. Ordin.
Juris verò Extraord. in Academia Marburg.

MILES TOGATUS,

Id est:

Discursus, de militum & advocatorum,
tum bonorum, tum malorum, summa similitu-
dine in omnibus; ad filum nobilissimæ

Legis XIV. C. de advoc. div. judiciorum

Cui accessit biga Diatribarum Juridicarum:

I. PRUDENS AC JUSTUS

ARBITER PRIVATUS,

Seu

Discussio, de difficilima materia, quid
juris sit, si res aliqua in tertii privati, vel unius ex
partibus arbitrium est rejecta? in contractu vel
ultima voluntate, extra judicium
vel in eo: &c.

**II. DISSERTATIO JU-
RIDICA DE JURE CLAVIUM
ET CLAUSTRORUM:**

Vom

Schloß- und Schlüssel-Recht.

MARBURGI CATTORUM,

Typis & sumtibus JOHANNIS HENRICI STOKENII.
ANNO M. DC. LXXXIV.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE.

LECTISSIMÆ. CELSISSIMO-
RVM. PRINCIPVM. IUVENTVTIS.
BIGÆ. FRATERNÆ.

DN. PHILIPPO.
REINHARDO.

ET

DN. JOHANNI
REINHARDO.

COMITIBUS. IN. HANAU.
RIENECK. ET. ZWEIBRÜCKEN.
DOMINIS. IN. MUNZENBERG.
LICHTENBBRG. ET. OCHSEN-
STEIN. MARESCHALLIS. HEREDI-
TARIIS. ET. ADVOCATIS.
SUPREMIS. ARGENTO-
RATENSIBUS.

DN. SVIS. GRATIOSISSIMIS.

*Humillima servitia & quicquid
in suo fano aut luco est eritq;*

offert & consecrat

O. PH. ZAUNSCHLIFFERUS.



CELSISSIMI PRINCIPES!
Domini Clementissimi!

DUm omnes dulcissimæ patriæ
 meæ *Hanoviae* anguli, effusissimis
 gaudiis strepunt, dum maximi,
 medioximi, infimi, ardentissi-
 mo desiderio humillimè accurrunt
 & sinceriore quàm *Perficâ* pietate, non *unum*,
 sed *duos soles* redivivos, duplicato ardore vene-
 rabundi adorant, dum cunctorum melioris
 monetæ subditorum aræ cæsis hostiis, liberalis-
 simè fumant; piaculum & mihi fuit, *solemnibus*
Soteriis impiè deesse, aut in medio agmine, fe-
 licissimum Vobis, *Celsissimi Comites!* reditum
 ex peregrino orbe, prolixè gratulantium, læ-
 tissimum VIVAT! ex imo pectore acclamanti-
 um, & ambabus manibus applaudentium, non,
 inter primos, accurrere. Equidem DOMINI!
 dum VOS non itineribus magis quàm æternis
 laudibus pleraque Europæi orbis regna & regi-
 ones,

ones, Ulyſſeo & Studio, & ſcopo, & ſucceſſu
 peragratis, fatorum (*quæ ut ſtupendus Seneca
 ait, ne quidem fulmine dejiciuntur*) conſilio
 clementiore, tenuitas mea à SERENISSIMO
 POTENTISSIMO Haſſorum Heroë DN.
 CAROLO, PRIMO & MAGNO, Domino
 meo Clementiſſimo, è latifundiis Veſtris Hano-
 vicis, quibus *ut adſcriptitius glebæ* affixus, ne-
 ſcio quo Genio, antè hæſeram, ad illuſtre Pro-
 feſſoris & Syndici munus, in Athenis Marbur-
 genſibus Celeberrimis ſuſtinendum, gratioſi-
 ſimis literis inopinatò evocatur. Sed, ut illa fe-
 cilitas, quamvis, ut verum fatear, quondam im-
 pudens meum votum eſſet, omnia circa me,
 nihil tamen in me ipſo mutare valuit, ſic nec et-
 iamnum, fide, obſequiis, cultu, in VOS, Hære-
 ditarium & Patrium Numen, aut Patriam, ut ut
 (ſi veniâ non impetrata eam in jus vocare licet)
 pæne dixerim novercantioſiorem, ulli, *Tros Ruti-
 lusve ſit*, me ſecundum puto: ſed ut olim, pri-
 mitias pauperis agelli Juridici & Oratorii ſacras
 facere, & humili veneratione, atque innato Zelo
 cernuus ad pedes Veſtros deponere fas duxi:
 ita & nunc, aliud in votis non eſt, quàm ut inter-
 ea temporis, fætura, *ut cum Marone loquar*, gre-
 gem meũ tantâ liberalitate ſuppleviſſet, ut aliud
 quàm *vilem lactis ſinum & vulgaria liba offerre*
)o(3 poſſem.

possem. Atque id, si rem ex verò aestimare ve-
 lim, tanto majori jure debeo, quantò notius mi-
 hi est, voti, non modo in *Acclamatione votiva*,
 ante lustrum, & quod excurrit, cum ad iter,
 mentem, bonis avibus, præpararetis, sed & po-
 stea, pro Vestra peregrinantium salute & sanita-
 te illibata, plus vice simplice nuncupati, hodi-
 erno die me damnatum esse, dum sanos salvos-
 que, & non nisi *glorioso pulvere* sordidos, fato-
 rum Clementia, tot precibus, non tam ex ore,
 quàm corde provenientibus fatigata, SERENIS-
 SIMÆ Heroinæ MATRI, Incomparabili He-
 roï AVUNCULO, Sororiæ Charitum turbæ
 Illustrissimæ, Terris, & fidelissimis Subditis Ve-
 stris, interque eos & mihi, redditit. Et *profecto!*
 cum adventûs Vestri desideratissimi exoptata
 felicitas, per Optimum Parentem meum (Mi-
 nistrorum totius Comitatus seniore, ac quin-
 quaginta annorum stipendio, si non nobilem
 tamen notum & commendabilem) cerâ inter-
 prete, lætissimo mihi innotuisset, sacro quodam
 impetu raptus, scrinia mea sollicitis articulis
 excutio, & Camænas meas eousque rogitando,
 ac munusculum, læti animi & hederam & nun-
 cium tesseramque quærendo, obtundo, usque
 dum, post aliquot Tractatus, non inutili labore
 (si quid Acta Eruditorum Lipsiensia judicant)
 publi-

publicæ luci donatos, inter surgentia jam ad umbilicū volumina Juridica, ut & Oratorio-Politica, resolutarū Taciti orationū, hæc juvenilis texturæ tela, tinea fortè invidenda, præsens nempe tractatus, quem MILITEM TOGATUM dixi, sese mihi festinanti, dextro Hercule obtulit, quem vix relectum, & pro commilitio, bigâ dissertationum stipatum, eo, quo ex sacris pandectis notus Jephtha, fervore, id est, si scapha scapha appellanda est, inconsulta pietate è vestigio VOBIS consecravi, ut tantùm veneris adderem, quantùm moræ demerem. Non quod tam Suffenus sim, ut credam, aut auctoris, aut argumenti, aut elaborationis fiducia, palatia Vestra pulsare posse levidense opusculum, subselliis tyronum aptius, & scholarum umbræ dicatum, sed quia rubrica ejus, VOS aliquo modo repræsentat, qui exemplo Principum, ultra communes fortis humanæ lineas surgentium, utramque Artis & Martis militiam, togam & sagum, amico contubernio conjungitis, ut sic ex UTROQUE CÆSARES esse possitis. Ut jam sicco pede transeam, Vestræ mox provinciæ, (utinam faustissimæ!) futurum negotium, ut & militū, & præsertim advocatorum, si qua est exlex malitia, satis retundatur, in quo ultimo, Principem egregio discursu instruit Ta-

citus Gallicus i. e. Barclajus in Argen. l. 3. c. 22.
 ut ego, post hunc Homerum, iliada canere no-
 lim. Sed nec hoc nunc ago, ut ingenium osten-
 tem aut ostendam, quin potiùs hæc una consilii
 ratio, hæc votorum summa est, ut & VESTRI
 faustissimi reditûs, & meæ humillimæ devotio-
 nis, arctissimè & *quasi trabalibus clavis* hucus-
 que fixæ & retentæ, monumentum publicum
 exstet, quod etiam illimato scripto tam fieri
 potest, quàm certum est, non solùm sumtuosa
 victimâ, sed &, ut ex vena Flacci loquar, *farre*
pio & saliente mica Diis litari posse. Unde nul-
 lius rei, nisi fortè nimix & festinantis pietatis
 reus, malui ut me suscepti pæniteret, quàm o-
 missi eò magis puderet, quò major est debendi
 causa, quo justior reddendi cura, denique quo
 major, sanctiorque Benefactorum persona.
 Sphæram nuncupatoriæ epistolæ, addo & inge-
 nii, ac temporis, multis parasangis excedit, im-
 meritissimos favores ob ovo deducere, quibus
 & septuagenario majorem Parentem, & me
 quoque Illustrissima Domus Comitum Hano-
 vicorum, & VOS; CELSISSIMI FRATRES,
 clementissimè profecuti estis: hoc solùm nunc
 sufficiat dixisse, quod olim Cæsari Augusto, Fur-
 nius; *hanc unam parens & ego habemus injuriam*
vestram; effecistis ut vivamus & moriamur in-
 gra-

grati, non quidem nostra voluntate, sed meriti
 magnitudine. Quod si ergo nullum tam im-
 mansuetum est animal, quod cura ad amorem
 non vertat, si Elephantorum, si Leonum
 feritatem usque in servile obsequium cibus de-
 meretur, atque adeò etiam quæ extraintelle-
 ctum & æstimationem beneficii sunt, assidui-
 tas meriti pertinacis evincit? quidni & nos, ne
 beneficia projecta magis quam data videantur,
 inter angustias paupertatis, quocunque modo
 gratitudinis materiam quæramus? ut ita Obligantium obligatique animi certent. Nec tamen
 pretium offero, ut nos devinctos liberem, sed pi-
 gnus, ut arctius obstringam: neque gratiam re-
 ferre, sed testari animus est. Atque ego qui-
 dem *Academicus*, cur seposita omni considera-
 tione, etiam seculi livore furentis, *Academicum*
 munus & chartaceum redhostimentum, obse-
 quii nondum tepentis testimonium offeram?
 ejus excusationis, Heroici animi Vestri, studiis-
 que non solum excultissimi, sed & *generoso ho-*
nesto, ut cum Vate loquar, *incocti* gratiam faci-
 unt, & si nullum ei lenocinium, temporis lætis-
 simi summa felicitas esset, tamen apud tam ex-
 celsæ indolis Principes, nil nisi magnum quid
 & immortale spirantes, imprimis, ex præscri-
 pto politorum Politicorum antesignani Taciti

IV. Anal. *cum reliqua omnia adsint, prosperam sui memoriam insatiabiliter parantes, gratiorem tali munere me futurum sperarem, quod, qui tantam Historiarum materiam orbi daturi sunt, haud dubiè Musarum collegio ebuccinanti maximè jam faveant. Exemplum Epicuri (præeunte Magno Seneca. epist. 21.) referam: cum Idomeneo scriberet, & illum à vita speciosa ad fidelem stabilemque gloriam revocaret, rigidæ tum potentiæ Ministrum, & magna tractantem, si gloria, inquit, tangeris, notiores te epistolæ meæ facient, quàm omnia ista quæ colis, & propter quæ coleris. Nuncquid ergo mentitus est? Quis Idomeneus nosset, nisi Epicurus illum suis literis incidisset? Omnes illos megistanas & satrapas & Regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblivio alta suppressit. Sic nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinunt, nihil illi profuisset gener Agrippa & Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum aperuisset. Quod Epicurus amico potuit promittere, quod illis Virgilius, *Fortunati ambo si quid mea carmina possunt: Dum domus Aeneæ Capitolii immobile Saxum: Nulla dies unquam memori vos eximet ævo, &c. id & VOBIS promitto, forte & præsto, saltem in magnis**



gnis & voluisse fat erit. Et quis, etiam tot favoribus non maectatus, pro gloria Vestra, *Clementissimi Mecænates*; omnes ingenioli, laboris, diligentiae, ut sic dixerim, copias non libentissimè educeret? quibus, rarò seculi, in vitia ita lapsi, ut *summa rursus non bulliat unda*, bonò, pueritia domi cum decore, adolescentia, in *vitium flecti cerea*, foris, summa cum laude in Aulis augustissimis, inque castris & Martis & Apollinis, diviso, sed utrobique toto studio transacta, qui procul estis à ventoso fastu, liberi ab impietate mentem fascinante, nec vitiis virtutes quasi ostracismo eliminari passi estis, ut paucis multa dicam, qui illud DEI Vobis vindicatis, titulum scilicet *Optimorum, Maximorum*. Quæ dum curatiùs mecum perpendo, non possum, quin alta voce & in secula duratura exclamem, *O terque quaterque fortunatos cives, quibus fata tam salutare sydus promittunt!* Plura addere sincerus fervor & infucatus subjectissimi animi candor volebat, cum Cynthius aurem, ut desinam tandem, velleret. Quod ergò raritati argumenti, quod elaborationis artificio, quod auctoris meritis deest, id pio voti ardore suppleatur. DEUS Vobis, ex veteri formula, det *vitam prolixam, imperium securum, Domum tutam, exercitus fortes, senatum fide-*

fidelem, populum probum, orbem denique quietum, & nos hujus exoptatissimæ gratulationis compotes faciat, ut Vos terris Hanovicis, quarum tutela & securitas Vestræ saluti innisa est, florentes præstet. Hæc cynosura erit ardentissimarum precum, quas supplex fundit, fundetque

CELSITVDINVM VESTRARVM

E Museo, Marpurgi Cattorum, anno à Virgine pariente M. DC. LXXXIV. die 14. Cal. Sept. quem Augustus Cæsar imperii principem & vita supremum habuit. Tacitus 1. Ann. 9. ubi Lipsius

Humillimus servus

**O. P. ZAUNSCHLIFFERUS.
JC.**



Benevole Lector!

UT crambe bis cocta, ex proverbii formula, mors est; sic & eodem fato scripta illa in publicum exeunt, nauseamque pariunt, quae nihil nisi quod jam ab aliis, etiam Homeris, tractatum & plus simplici vice elaboratum est, continent. Ut non malè celebris quidam Publici Juris scriptor, tales tractatus compareret baculo Moysis in serpentem converso: quemadmodum enim ille reliquos ejusdem figurae baculos deglutiit; sic & hodiernorum scriptorum multa, nil nisi tædiosas aliorum librorum compilationes, manifesto sæpè plagio, habent, & à plurimis jam cantatam Amaryllida Autores repetunt, similes scilicet Plautino coquo, quod alius jam condierat, denuò condienti. Usque adeò dulce est hominibus, scribendi cacoëthe insanabili laborantibus laureolam, vel in mustaceo quærere. Vox ergò non tam Martialis Britannici quàm oraculi est, Carpinus extremas voces & verba priorum Priscorum, qui nunc scribimus echo sumus: indeque lex illa XII. Tabb. postliminiò quasi, in usum esset revocanda ad literarium orbem: Ne segetem alienam pellexeris. Quod itaque Poëta ait, Laudato ingentia rura Exiguū colito; id Te Amice Lector!

Lector! monere possumus & hujus libelli fronti-
 spicio inscribere, si forte aliorum voluminibus
 Cæsar's Anti Catones æquantibus, capiare. Non
 enim hoc agimus, ut pagina turgescat, aut ad in-
 star Horatiana corniculæ, furtivis ornati plu-
 mis, per aliorum ora volitemus, sed ut rariora ar-
 gumenta, digna luce & publicæ utilitatis laude
 conspicua, brevibus tradamus, & pro crepidula
 nostra illustremus. Hæc & in tractatu de officio
 Judicis suppletorio, & de eo quod fit ipso jure,
 voti nostri summa fuit, & nunc denuò ejusdem &
 conaminis, & laboris, & materiae diatribas bene-
 volentiæ Tuæ sacras facimus, hoc unum redhosti-
 menti loco orantes, ut ad rhombum dicta, Divi-
 næ clementiæ; secus dicta humano errori
 nostro, ex asse adscribas. Vale
 & nobis fave.





MILES TOGATUS,

Id est:

Discursus de militum & advocatorum, tum bonorum tum malorum, similitudine:

Ad filum, nobilissimæ l. 14. C. de advoc. divers. judiciorum.

§. 1.



Primo sanè jure Sacratissimi Imperatoris Nostri Justiniani Codex, repetitæ prælectionis, Zodiaco, seu, (ut magno illi Eloquentiæ Syderi Ciceroni de Divin. latina voce exprimere licuit) *signifero orbi*, à prudentissimo viri Js Antistite, aut primas aut certè secundastenente, Pacio *in præfat. Isag. ad. cod.* fuit comparatus; quod ipsum & album calculum tulit Wisenbachii *ad ff. p. 1. D. 1. th. 5.* Etenim ut in Zodiaco *duodecim* signa, vulgari disticho omnibus ferè pueris, etiam *qui nondum are lavantur*, ut Juvenalis *sat. 2.* verba nostra faciamus, notissimo comprehensa reperiuntur, sub quibus varia mundi regna, regiones ac urbes à curiosis mapparum Geographicarum, Ephemeridumque concinnatoribus aptè collocari assolent: sic in hoc Juris Codice,

A

dice,

dice, *duodecim* libros invenire licet, in quos tanquam elegantissimas cellulas, variæ diffusi juris materiæ, methodo (quicquid Momi satellitibus, jus nostrum carpere solitis, videatur) convenientissima, artificiosè sunt digestæ. Jucunda Astrologorum oculatorum schola per Zodiaci spatia, *septem* sydera erratica, quos Planetas appellamus decurrere docet: vide Comenii *Physic. Synops. cap. 8.* en tibi! quam os humerosque similis est Codex, per quem *septem* Pandectarum partes: *l. 2. §. 1. C. de veteri jure enucl.* continuâ ferè serie delabuntur, ita quidem, ut ibi, norma in Pandectis tradita à Jurisconsultis prudentissimis, ad factum ab Augustis Impp. nervosè applicatum videatur. Zodiacum in *duas* partes divisum partim austrum, partim aquilonem versus declinare, in accuratis cæli globis videmus: *Comen. d. l.* Gemello modo in *duo* membra dispesci solet Codex ita ut aut partim circa sacra & cælestia, partim circa terrestria & profana, aut circa Jus privatum & circa jus publicum inculcandum sit occupatus. Innumerabiles stellulas, in hoc animalium circulo fulgidissimè radiantes conspici licet: Ovum ovo, aqua aquæ non tam similis, quàm & in hoc membro, codex ei: quippe in quo tot sunt lucidissimæ leges. Quis enim, sodes! criticum obelum stringere, aut atro carbone notare ausus erit, quod Codicis LL. coruscantibus stellis conferamus? Imò non speramus sed confidimus, ipsum illum rigidissimum Criticorum antesignanum Aristarchum, stellulas approbationis hederam, seu, ut Grajo nomine vocantur, asteriscos, nobis sacratissimas leges, cælestibus stellis conferentibus esse appositurum; cum nec censorii Vallæ supercilio & cerula miniatula sint notatæ, sed potiùs, *in præfat. ad lib. 3. eleg.* laudatæ; ut nemo, nisi sceptica sempiternarum dubitationum caligine occæcatus, punctum

ctum suum denegare nobis possit. Nonne enim, si in-
 corrupto sanæ rationis astrolabio, & omni præjudicio-
 rum nebula liberis considerationum perspicillis videas?
 lucent authoritatis Imperatoriæ splendore, splendent
 justitiæ & æquitatis (derivatæ & accensæ ab ipso sanctissi-
 mo lumine, rectæ rationis, in horrendo Protoplasto-
 rum naufragio non extinctæ) scintillis: scintillant mo-
 raliū præceptorum radiis, radiant firmissimarum ra-
 tionum lucidissimis faculis. Et quid de stylo Impera-
 toria majestate digno ac plane Oratorio, de figurarum
 & troporum numero innumero dicam? Profectò, vel
 solo horum respectu Codicis LL. stellis componere fas
 nobis erit, ob summam earum splendorem: adeò, ut
 audaciùs asserere nulli dubitemus, in nullo ex tota Au-
 torum Latinorum cohorte, fortè nec ipso Oratorum
 Sole, Cicerone excepto, accuratiores & examussim ma-
 gis tornatos tropos, aptioresque figuras deprehendi,
 quàm in sæpiùs laudato nunquam satis laudando Codi-
 ce, ejusque faces Rhetoricas, aut majori, aut certe pari,
 cum aliis Autoribus Classicis luce frui, quorundam et-
 iam ex Diis minorum gentium, luminibus ita obstrue-
 re, ut de Codice sine ullo veritatis exosculandæ dispen-
 dio dici possit, quod olim de celeberrimo Sipientiæ ora-
 culo Chrysippo, si credimus Diogeni Laërtio in *Chryf.*
 dicere solebant, *Hic solus sapit, ast reliqui velut umbra*
vagantur; vide Hahn. ad *Wes. tit. de legibus. num. 8.*
verb. de interpretatione vero, vers. His addi possunt. IV.
 Rident equidem hoc nasuti Momi, maledico carpunt
 ore Theones lividi, *credat hoc Judæus apella, non ego,*
 clamitat Antagonista pejoris monetæ: sed sole clariùs
 meridiano id apparebit, non dicam Codicem à capite ad
 calcem, sed aliquot saltem: quid? imo unicam paginam,
 evoluturis & sine affectuum superpondio trutinaturis:

quod si in contraria omnia euntes fecerint, certissimi sumus, quin fideliora sibi perspicilla sint in posterum imposituri, & oculos nigræ loliginis succo corruptos depuraturi, ut sinceriori supercilio veritatem dignoscere possint. Equidem, non eò, *tanquam in sylvam ad capiendum leporem*, juxta illud tritum, adversarios remitteremus, sed exemplis sexcentis adductis & conquisito rationum agmine sententiam nostram propugnaremus, nisi persuasissimè essemus, B. L. ex fimbria de texto, ex pollice de Gigante, ex ungue de leone, id est, *ne Oedipo opus sit*, ex unico exemplo, de veritate asserti judicare posse. Quàm enim vera & accurata, quàm eleganti & ditissima metaphora in notissima & juxta Gailium l. 1. O. 143. num. 4. advocatis albo lapillo notanda l. 14. C. de advoc. divers. judicior. advocati militare dicantur, hoc discursu docere satagemus, similitudinem (quæ anima metaphoræ meritò cluit) inter advocatos & milites, tam bonos quam malos intercedentem proposituri, aliquanto altius repetituri & latius deducturi.

§. 2. Non equidem nos latet quàm periculosa plenum opus alex, ut Horatius 2. Od. 2. ait, tractemus, ac per quos formidandos ignes cineri doloso suppositos incedere aggrediamur: quàm intricato labyrintho, non uno sed pluribus *Minotauris* crudelissimis formidabili pedem inferamus, in quod periculosum iter & æstuans mare, horrifonis calumniarum fluctibus plenissimum nos conjiciamus, ubi venti ut cum Virgilio 1. *Æn.* loquamur *velut agmine facto: Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant, Incumbuntque mari totumque à sedibus imis: Una Euris Notusque ruunt creberque procellis, Africus & vastosvolvunt ad litora fluctus.* Cum impiis advocatis & ejusdem metalli militibus res nobis erit, hominum genere, -- *quorum* (verba sunt Juve-

Juvenalis *sat. 13.*) *præcordia nullis; Interdum & levi-*
bus videas flagrantia causis, Quantulacunque adeo est
occafio fufficit ira. Tum verò ad unguem callent ar-
tem tornandi, id est, dextrè dicta finiftre interpretandi,
 editiones auctiores & mendaciores cudendi, ex gleba
 montem, ex pulice camelum faciendi, imo & in fcirpo
 nodum inveniendi. Quo ergò genio, iratarum apium
 alveare audaciùs percutimus? Leoni truculento barbam
 vellimus? lupum non unum fed plures auribus appre-
 hendimus? Cerberum trifaucem audaci manu excita-
 mus? fumantem irati urfi nafum tangimus? dum litigio-
 fæ turbæ, acuto ingratae veritatis ftimulo crabrones ex-
 citare & in scenâ improbos eorum mores amaro liber-
 tatis pleetro decantare non defiftimus? linguarum no-
 vacula, recens cotibus nitente, acutiorum fæviffimos
 aculeos non evitaturi? Quæ dum attentius perpendi-
 mus, & *Cynthii aurem vellentis* monelam audimus, vix
 est, quin vela audacius expansa contrahamus, tutius judi-
 cantes vela retrorfum dare & curfus relictos iterare, jux-
 ta Horat. *1. O. 34.* quàm ob oculos verfanti scopulo &
 cauti Marpesiæ navim impingere, ficque in præiens nau-
 fragium ruere. Sed jacta esto alea! permittamus vela
 ventis! *Galeatum serò duelli Pœnitet. Juven. Sat. 1. Se-*
ro respicitur tellus, cum fune soluto Currit in immensum
panda carina salum: Ovid. 2. Amor. XI. Stat lenti-
 tia pergere, etiamfi non *breves fed longas Gyaras* (Ju-
 ven, d. *sat. 1.*) experiri cogeremur. Bestiam multorum
 capitum ne hili quidem aut hectæ facimus, fed medium
 ei digitum ostendimus & ciconiâ pinsumus. Metaphy-
 ficè ab *hic & nunc* abstrahimus, neminem nominamus
 quamobrem nemo nobis jure irascetur, nisi qui antea de
 se voluerit confiteri, ut *pro L. Manilia*, Cicero sese de-
 fendit. *Licuit semperque licebit Parcere personis, dicere*

de vitiis. Non homines sed hominum depravatos mo-
res animosque, animo non injuriandi sed, si fieri possit,
corrigendi, apertis conscientiosè tibiis accusamus, cul-
pamus, detestamur, unde injuriarum grandis dicæ im-
pingendæ securi sumus. Malos enim milites & togatos
& sagatos, nihil moramur, quin imò paratissimi sumus
sine ulla tergiversatione, cum talibus, vitia hæc, in quæ
verbis debacchamus, de se confitentibus, & sic soricis
instar suo iudicio sese prodentibus, iudicium sub iudice
non suspecto subire, persuasissimi, Benevolum Lecto-
rem, imò totam honorum duplicis militiæ militum le-
gionem, Dei & conscientiæ suæ rationem habentem,
præsenti patrocinio nos adiuturam, malorumque ma-
nus nocivas & sceleratos impetus laterum corporumq;
oppositu aversuram, ut olim infelix Clytus, crudelem
Dominum in vitæ periculo constitutum, clypeo suo te-
xit: *Curt. lib. 8. cap. 1.* & sicut Sejanus Tiberium, cum in
villa, cui nomen Spelunçæ, vesceretur natiyo in specu,
cujus saxa repente lapsa erant, narrante Politicorum
Phosphoro: *IV. Annal. 59.* Pergendum verò!

§. 3. Utinam (*quid enim nisi vota supersunt?*) uti-
nam inquam humani generis primi conditores in bea-
tissimo divinæ integritatis & angelicæ innocentiae statu
firmi mansissent, & aurea illa ætas sine omni fine dura-
set; Sed, proh dolor! præcoci nimis fato felicitas illa in
ipsis incunabulis periit, horrenda metamorphosi aurea
secula in ferrea sunt mutata, in quibus ut bello & iudice,
sic & militibus & advocatis opus esse, nemo abnuet, nisi
qui cum Anaxarcho, palliotenus Philosopho, nivem
non esse albam, aut (ut Horatius 2. *Epist. 1.* ait) Nil intra
esse oleam nil extraque in nuce duri, asserere non eru-
becet. Etenim, ut rectè Cicero *pro Milone* disserit,
hoc & ratio doctis & necessitas barbaris & mos gentibus
& feris

& feris natura ipsa prescripsit, ut vim vi repellant, in-
 juriam jure, vel ipsi vel, sufflamine aliquo injecto, per a-
 lios propulsent & vindicent, sicque jus suum aut ferro
 aut verbo prosequantur: unde prono quasi alveo fluit,
 & militibus, & causam in judicio agentibus personis opus
 esse. Atque, ut omnia jura, judicia, leges, religio, rei-
 publ. opes & potentia, militaris disciplina clypeo, effato
 Ciceronis pro Muren. continentur latentque sub tutela
 & presidio virtutis bellicæ; sic quoque tanta est necessi-
 tas advocandi muneris, ut Reip. in qua illud non floret,
 salus tenui tibicine sit fulta. Injustitia quippe (quæ o-
 mnibus advocatis ostracismo mulctatis, in foro domi-
 netur, necesse est) illud est fulmen, quod florentis Reip.
 currum triumphalem ad sydera etiam sublatum, Phaë-
 thontio casu prosternit: non sacrâ solum sed & profanâ
 Historia id clamante, vide Comitiol. Ratisbon. d. anno
 1654. Part. IV. Diss. 1. Wendel. Polit. lib. 3. cap. 1. th. 6.
 Unde pronum est judicare militum & advocatorum,
 tanquam Atlantum humeris, totam felicis Reip. molem
 & machinam incumbere, & sine duplici hoc fulcro pe-
 deque felicitatem claudicare, si non corruere.

§. 4. Quod si quis contra hanc assertionem nostram,
 utriusque militiæ homines in eodem necessitatis gradu
 collocantem hiscere aut mutire audeat: næ illi silentium,
 quasi ex l. diffamari. 5. C. de ingen. manum. imponere
 possumus? ut statua taciturnior, ex proverbii formula,
 reddatur. Qui hoc, inquit quis, an ergo alter es Per-
 seus & Gorgoneum caput habes, quod intuentes in laxa
 convertit, vocemque in medio sono supprimit: Ovid. 2.
 Metam. 5.? Non quidem illud, sed aliud quid habemus,
 quod pari efficacia obloquentium ora, firmissimis obi-
 cibus claudit, nobilissimam scilicet, Sacratissimorum
 Impp. Leonis & Anthemii legem nostram, ex ipsissimo

Quasi Apollinis tripode ita differentem: *Advocati qui dirimunt ambigua causarum fata, suaeque defensionis viribus in rebus saepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident generi humano, quam si preliis ac vulneribus patriam parentesque salvarent: Nec enim (pergunt Impp.) solos Imperio nostro militare credimus illos, qui gladiis clypeis & thoracibus nituntur, sed etiam advocatos, militant namque causarum patroni, qui gloriosa vocis confisi munimine laborantum spes, Vitam & posteros defendunt. Vide Carpz. p. 1. Const. 1. def. 18.*

§. 5. Nec fortè regeras, Legis hujus mucronem contraria sanctione esse habetatum, dum durissimum Legis telum contra omnes juris Doctores & advocatos Imperiali manu Friderici III. est contortum in Comitibus anno 1441. habitis, cujus tenor hic fuit, quod omnes advocati, Principum Dicasteriis & judiciis exulare debeant, adjecta hac ratione aquae & ignis interdictionis quod singulis hominibus tantus intellectus, à Deo sit datus, ut suo Marte, jura sibi competentia proferre & defendere possint. Sed hæc nobis tanti non sunt, ut priori opinioni repudium mittamus. Profectò; si assedisset nunquam tacendus *Tacitus*, haud dubie is censuisset, aliorum culpam ipsis damnosam esse debere, universorum juri nihil derogandum: *XII. Annal.* Sicut nec aliàs abusus tollit usum, aut vitia artificum arti possunt, ullo juris colore affricari. Nec verò credendum unquam rigorosam hanc sanctionem & abortivam invaluisse aut receptam fuisse ceu docent *Limæus lib. 8. cap. 4. n. 11. & lib. 4. cap. 8. num. 18.* *Besold. Thes. Pract. voce Juristen* unde ad priorem legem abrogandam valida non fuit. Quin imò, si ambabus manibus concedamus, eam *uce sua legem nostram 14. obtenebrasse*, tamen contrariam

riam aliquot non dicam annorum sed seculorum con-
suetudinem *arg. l. 2. C. qua sit long. consu.* iniquæ huic
legi omnem auctoritatem detraxisse, & sic placita Juris
Romani, clara quasi voce ex exilio injusto revocata esse,
quis, nisi forte ille juris nostri Domitius in dubium vo-
cabit? ut jam tot Imperii Recessûs sicco pede transea-
mus. Experientia scilicet, stultorum magistra, recla-
mavit Friderici iudicio, aut simplicitatem, aut ignorantiam,
aut negotiorum scopulos, aliave mille impedimen-
ta, litiganti posse, violenti instar Tribuni, obstare, quo-
minus causam suam ipse orare, ex tot legum vicis felici-
ter se expedire, factumque dextrè ad juris normam ap-
plicare valeat; prout Bouricius & Manzius tractatibus
integris *de advocato*, celebres, ab initio laborum suo-
rum exactiùs demonstrant. Itaque duræ legis illius ra-
tione, tanquam animâ cessante, & ipsam subitaneo fato
interire necesse fuit, ut *subductis tecta columnis* ruunt.

§. 6. Hæc de utriusque sortis hominum *necessitate*
& *utilitate*; pedem nunc promoveamus ad similitudi-
nem *laborum*. Et quis eam meliùs, post Imper. Leo-
nem & Anthemium *in nostra l. 14.* exprimeret quã flos
delibatus populi suadæque medulla Tullius *pro Mu-*
rena: Advocatus, inquit, *de noctu vigilat, quo suis*
consultoribus respondeat: sic miles, ut maturè quo in-
tendit veniat: illum gallorum; hunc buccina cantus
ex suscitatur: ille actionem instituit, hic aciem instruit;
ille cavet, ne sui consultores; hic ne castra aut urbes ca-
pianur: ille scit, ut aqua pluvie, hic ut hostium copie
arceantur. Et quid quæso; similius bello quam lis &
judicium? bellum movent partes, itidem iudicium: in
bello deliguntur duces, in iudicio advocati: ibi dux sub
se habet milites, hic advocatus procuratores: bellum
moveretur ex variis causis, lis ex iisdem: in bello vigilantia
opus,

opus, nonne vigilantibus jura sunt scripta? utrobique pro aris & focis fartis tectis conservandis pugnatur, hinc pennâ, ibi bipenni: hic legibus ibi legionibus: hinc ex atramentario, ibi ex armamentario: hic verbis, ibi verberibus, denique hic arte, ibi Marte.

§. 7. Cum itaque harum personarum eadem sit *necessitas*, eadem ex earum officio *utilitas* ad Remp. redundet, similis denique sit *labor*, cur non eadem illis essent præmia? cum juxta regulam, ex ipso naturalis æquitatis fonte haustam, ubi eadem est fatigatio ibi eadem merces sit constituenda. Et juxta illud Juris Canonici, *quorum equalis est sanctitas eorum & festivitas equaliter celebrari debet. c. scire debes dist. 76.* Hinc prudentissimi juris Conditores docent, ut militibus sic & advocatis datum privilegium competentia: Hunn. ad Treut. Vol. 2. disp. 24. q. 28. Berlich. p. 1. Concl. 40. num. 53. Carpz. 1. C. 32. def. 18. Menoch. de Arb. Jur. æst. cent. 4. qst. 379. num. 4. & seqq. Struv. ex. 44. th. 20. non torqueri posse: Magon. Cyn. advoc. cap. 6. num. 5. Bocer. in Orat. de Privil. Dd. p. 328. Everh. loc. leg. 56. num. 4. juncta. l. 8. pr. C. de quest. peculii castrensis: Struv. ex 20. th. 66. 67. Everhard d. l. num. 17. immunitatis à muneribus personalibus. l. 6. C. de advoc. cum similibus. Klock. de contrib. cap. 15. num. 13. & c. Menoch. d. Tr. lib. 2. c. 379. Cothm. Resp. Acad. XIV. Struv. ex. 50. th. 73. anne & à patrimonialibus? Vide Klock. d. c. 15. num. 104. Ut jam alia taceamus, quoniam hæc ad similem sortem ostendendam jam abundè satis sufficiunt:

§. 8. Vidimus hucusque in multis convenire militia: togatam & sagatam: pergamus nunc & ipsas personas earumque mores, paulò prolixius consideremus, quod ut eò clariori luce & elegantiori methodo fiat, homines

mines contrariis morum differentiis sua natura distinctos & longâ intercapedine sejunctos, nostro quoque sermone distinguamus, ad dextram collocatos bonos milites, & his consimiles advocatos prius jucundo, postea malam Bellonæ sobolem & hujus socios, degeneres almæ Themidis filios, irato vultu perlustraturi.

§. 9. Plus sapientiæ in imo recessu habet quàm prima fronte promittit illud Cynici Diogenis, qui referente Laërtio in *Diog.* meridiano tempore in forū multis hominum legionibus differtum venit, accensum ferens in cornu Vulcanum, & quaquaversum argutos vibrans oculos, *hominēs*, ut sciscitanti turbæ respondebat, tanta diligentia quæsiturus. Indigitabat scilicet Vir sapiens, inter tot hominum millia, tam paucos homines, nomine & omine tales inveniri, ut lucente interdiu candelâ curiosisque Argi oculis sint investigandi, cum plurimi vitam, homine indignissimam, belluina impietate vivant, nec juxta Theseum rectæ rationis filium gressus suos in multiplici humanæ pravitatis labyrintho dirigant, sed brutorum in morem scelesto pravorum affectuum ductu per patentissimum omnis nequitia campum indomiti instar equi alacri cursu ad scelerum ultimam metam, omnibus divinarum & humanarum legum vinculis & habenis violentissimè ruptis ruant. Quid? risumne excitaret quis, si pari modo inter tot militum myriades *bonum militem*, lucerna ex Diogenis manu, sumtâ quæreremus? *Rari quippe* (Juvenalis ait *sat. 13*) *boni numerò vix sunt totidem quot. Thebarum porta vel divitis ostia Nili.* Lippis tonsoribusque notum est illud Heracliti apud Strabon. *lib. XIV.* elogium de Ephesiis: Digni sunt qui ad puerum usque omnes strangulentur, qui Hermadorum virum inter ipsos frugi ejecerunt, addito, *nemo nostrum frugi esto, aut alibi id esto*

esto & inter alios. Cui geminum uictorium illud Lutheri, uni annulo omnia piorum Regum nomina posse insculpi. Sanè audacior quis, pios & bonos milites posse adjungi, diceret, & adhuc pro nominibus bonorum advocatorum & mulierum non rixosarum spatium superfuturum. *Sed bona verba!* hoc nimium est asserere! tum ex sacris, tum ex profanis historiis, imò & quotidiana experientia saniora edocemur, multos scilicet cordatos & religiosos milites inveniri.

§. 10. Atque hi non eò abominandæ impietatis descendunt, ut sacro desiderio & improbis votis tremendum Martem crudelibus & recenti cruore madentibus in armis exultantem videre exoptent: libentiori & exporrectiori fronte Deam Pacem, quàm Deastram Bellonam regnorum gubernacula tractare audiunt: probè perpendentes, quod sit nulla salus bello, multa paci: *hac optima rerum, Quas homini novisse datum est hac una triumphis. Innumeris potior tum custodire salutem Tum cives servare potens,* ut Silius lib. XI. ait. E contra verò non ignorant quod omnia mala dicat qui bellum dicat; cum illud omnes calamitates longo post se agmine trahat; & ex illo fonte maxima incommodorum flumina promanent! Et quis enim tam peregrinus erit in mundo, qui litem suam facere & manu solem obscurare velit, illud monstrum plusquam Herculeum, crudelitatis vestigia, quocunque vagatur, relinquens: illum aprum defendendo, qui ut ille in Calydoniæ fines à Diana, ludente Ovidio 8. Met. 7. missus -- *quanto majores herbida tauros, Non habet Epirus, sed habent Sicula arva minores: Sanguine & igne micant oculi, rigeat horrida cervix, Et setæ densis similes hastilibus horrent: Stantque velut vallum, velut alta hastilia setæ. Ferrida cum rauco latos stridore per armos, Spuma fluit,*

flant, dentes æquantur dentibus Indis. Evimen ab ore ve-
nit.

§. II. Verùm enim verò, quod ille de *conjugio*, hoc nos de bello dicere possumus, bellum scilicet malum esse necessarium. Sic enim rerum humanarum est conditio ut quandoque ad sanguinolenti Martis dexteram, etiam invito sit confugiendum, si in ara legum, in quieto dulcioris Justitiæ sinu, intra cancellos æquitatis, parùm sit præsidii: quo casu, si aut opprimendorum justissima defensio, aut oppressorum salus agatur, si injustè erepta hostis restituere, ut alio modo injustitiam corrigere detrectet, milites boni licitè cingulum sumunt, aut *vitem libello poscunt*, & militatum abeunt, causæ justitiæ ad claram Sacro-sanctæ Scripturæ, & juris, maximè gentium, lucernam & conscientia suæ trutinam priùs revocata & examinata, ne cæco impetu & plenis injustitiæ velis ad summum impiæ sævitæ gradum ruant, quo ipso non impios latrones sed pios justitiæ satellites, non impietatis propugnatores, sed oppugnatores sese ostendunt, ex præscripto officii hominis; quo de videatur Magnus Grotius de J. b. & p. *lib. 2. cap. 25. §. 9.* qui in *seq. c. 26. §. 3.* docet, ne quidem subditum debere in causa injusta pro Rege arma sumere: quemadmodùm jure feudali est sancitum, Vasallum non obstrictum esse ad juvandum Dominum, si malam causam habeat 2. *feud. 28. pr.* Struv. *Synt. Feud. Diss. XI. aph. 7. num. 7.* Schnob. *Diss. feud. IIX. th. 17.*

§. 12. Ubi ergò religiosus miles bonæ causæ operam sacramento addixerit, nulla ratione, nec prece nec pretio eo deduci se patitur, ut fidem verbo vel facto violet, aut secreta hosti consilia enunciando, aut, quod atrocitè, ad adversa castra deficiendo: uti hujus rei exemplum clarissimum habemus M. Curium exactissimam constan-
tia

& elegantissima sunt exempla, quibus merito jungendus Bellisarius infelix, qui tantam habuit rusticorum curam, ut ne minimū quidem damni à milite illis inferri passus fuerit; quippe quorum ne poma quidem ab arboribus pendentia attingi permisit. Notabilis est illa Aurel. Imp. lex. *Sivis tribunus esse, imò sivis vivere manus militum contine, nemo pullum rapiat alienum, avem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit: de præda hostis non de lacrymis provincialium habeat.*

§. 14. Prout verò, nostri argumenti milites, rebus adversis animosi sunt, sic & rebus secundis vela contrahunt. Non superbis verbis facta sua narrant & grandiloqua mendacique lingua fortitudinem extollunt, scientiam militarem ebuccinant, hostium vires, consiliaque spernunt, sed *factis magni* (ut Tacitus ait *1. Hist.*) *ad verborum lingueque certamina rudes sunt*, ut ante discrimen modestissimi, sic in ipso fortissimi: quæ & ipsa modestia ex habitu eorum elucet, dum non discolori veste, ut illi apud Curtium *lib. 3. cap. 3.* sed honesto, non auro argentoque cælati, sed ad usum aptioribus armis fulgere student.

§. 15. Sed longior adhuc via est emetienda, itaque ut minori finiamus pomærio; summa rerum fastigia secuturi mansuetudinem, humanitatem, temperantiam, & laudabilem reliquarum virtutum, sororio quasi vinculo nexarum chorum, tacita veneratione præteribimus. Nec verò etiam, nostra sententiâ, opus est ut bono militi longis verborum ambagibus depingendo oleum operamque impendamus, cum tribus quasi verbis exactissimè eum describere possimus. Ille, nescio quis, Philosophus ab homine quodam *ad morem discincti Natta vivente*

tia normam & perfectissimum continentia speciem, qui
 autore Val. Max. lib. 4. cap. 3. & Floro lib. 1. cap. 18.
 cum Samnitium legati magnum auri pondus publicè
 missum, ad eum agresti in scamno, foco assidentem at-
 que ligneo catillo cenantem (quales epulas apparatus
 indicio est) attulissent, vultum risu solvit protinùsque
supervacua inquit, *ne dicam inepta* legationis ministri,
narrate Samnitibus Curium malle locupletibus impe-
rare quam ipsum fieri locupletem, atque istud, ut pretio-
sum ita malo hominum & corruptioni excogitatum
munus refertote ac mementote, me nec acie vinci, nec
pecunia corrumpi posse. Non tanto fervore urfi pro
 catulis, iratae apes pro dulci penu pugnant, quanto boni
 milites pro domini causa. In pugna quàm forti manu?
 quàm sapienti cura dimicant? hostes repellunt, fugant,
 posternunt? quàm alacres sunt ad propugnacula sua
 defendenda, hostilia occupanda? sive forti dextra & aper-
 to Marte, sive occultis cuniculis & stratagematibus, sed
 talibus, quæ ab omni deceptione, fraude fideque violata
 divortium fecere, nam alia cane pejus & angue detestan-
 tur volentes potius, ut se fortunæ pœniteat quàm ob-
 tentæ per fraudes victoriæ pudeat: Curtius lib. 4. cap. 13.

§. 13. Atque hi non detestando hoc voto unico labo-
 res istos extantlant, ut sacram famem & Tantaleam divi-
 tiarum sitim expleant: pectora eorum major *Numinis*
 quam *nummi*, amor stimulat: potius in justitiæ *solem*
 quàm in auri *molem* oculos habent defixos! adeò, ut sti-
 pendio, etiam modico contenti, non illicitis exactioni-
 bus & concussionibus injustissimis amicos etiam & so-
 cios urgeant, nō sint *populatores terra quam à popula-*
tionibus hostilibus vindicare deberent: Curt. lib. 3. cap.
 4. quæ ipsa disciplina militaris præcipuum decus & stabi-
 limentum imperii dicitur Valerio Max. lib. 7. cap. 7. ubi
 & ele-

vente (Perf. fat. 3.) & vitiorum flagitiorumque omnium vastissimis gurgitibus ita immerso, *ut summa rursus non bulliret unda*, interrogatus, quis homo bonus esset dicendus, è vestigio sapienter admodum respondit, *tibi dissimilimus*: Eodem modo, eademque brevitate, bonos milites vobis definire possumus, qui scilicet malis militibus sunt dissimilimi, quos quidem suis coloribus exactè depictos mox vobis proponere satagemus; ubi priùs paucis, quoad ejus rei fieri potest, verbis planum fecerimus in prædictis virtutum articulis bonos advocatos, bonis militibus os humerosque esse similes.

§. 16. Quid enim de piorum advocatorum paucitate dicemus imò queramur? sunt equidem raræ aves in terra, nigrisque cygnis ferè simillimæ, aut albis corvis: adeo, ut citiùs in sylva delphinum aut in fluctibus aprum sis visurus, quam in multis urbibus probum advocatum. Ut non de nihilo sit quod Plinius Secundus dicit in Epist. *eos qui in foro & litibus teruntur, multa mala quamvis nolint addiscere*. Ut tamen aliàs sic & quoad hanc professionem, sunt mali mixti bonis, sunt boni mixti malis; & ut Diabolus, sic & Deus suos habet clientes. Vide Magon. d. Tract. *ab initio*.

§. 17. Atque hi miti animo perniciosas lites toto animo detestantur, eas in ipsa herba, quantum quidem in suo fano & luco situm est, reprimunt, pullulantes discordias, tanquam crudelissimam feram, in ipsis latibulis litium securi, transactione, occidunt, ne in publicam pernitiem erumpat, litigantes cum suis consumat, ipsum denique reip. statum labefactet. Nec enim eos clam est, quàm amarus fructus, ex pessima litium radice enascatur, quàm horrendo naufragio hic turbulentus aquilo homines mulctet: ut adeo satiùs sit, Neptuni tridente.

Motibus in mediis cito componere motus. Addere quàm

quàm motus, motibus usque novos. Atque hinc in ipso limine clientem dehortantur, positis ob oculos mille incommodis & tempestatibus, quæ illum manent, qui dubiæ litis alæ sese sine extrema necessitate committit. Sæpe enim litigans, aliter ac Sannio Terentianus, spem pretio emit: *Er wirfft eine Seiten Speck nach einer Bratwurst.* Et ut Alchymia, sic & processus sæpe, est *multiplicatio totius per nullam: Eine Fischerey / da man die ganze Nacht fischet / und doch nichts fänget.*

§. 18. Sed tamen, ut belli, sic & litium institutio, sæpè malum est necessarium. Sic fert hominum vita, ut anceps litigii periculum etiam nolenti sit subeundum, refractarius acri judiciorum lixivio curandus, impiorum audaci malitiâ presso ad Judicis tribunal, & Principum statuas, hoc est, bonas leges confugiendū, si innocentia & justitiæ clypeo se parum tectum, & contra calumniæ tela munitum animadvertat. Et tum, si res ad judicium sit devolvenda, *probi Patroni*, non cuivis manum tutelarem promptè porrigunt, in clientelam suam concedere volentes non promiscuè, ambabus, ut dicitur, ulnis excipiunt, sed rem priùs altiori indagine explorant, an scilicet salva pietate, permittente conscientia, favente justitia defendi possit causa? nisi enim omnes iniquitatum scopulos & bonæ conscientiaë naufragium se declinare posse videant, anchoram non solvunt, litis remomanum non applicant, recenti semper memoriâ versantes, se patronos juris non injuriæ esse, adeoque ex dulcissimis juris floribus non pro malis pharmacum, pro bonis venenum sibi esse eliciendum, ne venenatas potiùs araneas quàm probas apes sese ostendant: Confer *Magon. Cynof. Adv. cap. 43. num. 17. Lefs. de J. & J. lib. 2. cap. 31. dub. 9. & ult. Berlich. p. 1. c. 9. n. 15.*

§. 19. Quod si ergò causæ justitiæ patrociniū
B mereri

mereri, *scientia & conscientia* ipsis dicitur, tum de-
 mum operam fidemque clienti, dant dicunt, addicunt:
 eoque facto, à turpissimo prævaricationis odiosissimæ
 crimine tum metu pœnarum civilium (de quibus Struv.
ex 48. th. 98. Carpz. dec. 91. Nemes. Carol. art. 151.)
 tum amore virtutis, tam sunt alienissimi, quàm proximi
 sinceræ dexteritati, quàm inimicissimi inconstantia,
 quàm infensissimi fraudibus, ad clientis incommodum
 directò sive per indirectum tendentibus: adde Magon,
d. Tr. cap. 29. num. 7. Carpz. decis. 101.

§. 20. Nec verò sufficit à talibus fraudibus abstinere,
 sed forti prudentiâ & prudenti fortitudine causam a-
 gendam meminere religiosi advocati: hincque diurna
 & nocturna manu, Corpus Juris, & alia fori lumina,
 maximè verò documenta clientuli, & circumstantias fa-
 cti sollicitè evolvunt, ex quibus pharetris tot & tam pene-
 trantia tela, causæ jugulum petentia & adversarii lori-
 cam perterebrantia depromunt, tanta arte & stratage-
 matibus ab omni nequitia liberis, rem agunt, ut antago-
 nista hastam abjicere, manus victas & herbam dare, ac
 sua propugnacula deserere cogatur. Idque non post
 longum litis sufflamen sed, quantum possibile est, cito:
 utpote cui hominum generi ex meliore luto Titan præ-
 cordia finxit quam Jasoni; non enim serpentinos litis
 dentes serunt, ex quibus alii viri armati prodeant, cum
 quibus periculo & damno clientis denuo pugnent, (vi-
 de Ovid. 7. *Met. 2.*) lites mortalium immortales effi-
 ciant, & hoc modo aureum vellus reportent. Adeò, ut
 litium perniciosæ protelationi ne rimam quidem relin-
 quant, tantum abest ut fenestram aperiant. Scilicet, so-
 nat in auribus eorum elegantissima illa lex, properan-
 dum! 13. C. de judiciis.

§. 21. Atque hujus rei, aliarumque virtutum fontem
 lim-

limpidissimum & caulam esse fugam avaritiæ, omnium malorum radicis pessimæ, omnium iniquitatum metropolis, quis non videt? non enim proborum advocatorum est helice & cynosura, aurum, non argenti mortalibus gratissimi color, oculorum aciem ita præstingit, ut ingenii acumine, justitiam causæ perspicere non valeant: non tantas habet veneres (verba sunt Juvenalis sat. 13.) litigantium pecunia, ut posthabita salutis æternæ cura, spreta conscientiæ ratione & consideratione, vili illa terra potiri anxie laborent, non nescii, quod terra, cum quicquid utile hominibus erat protulisset, utriusque materia pretiosas laminas, ad quas cupiditas nostra caligat defodit, merisque ac ut noxiis rebus ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit, ut Seneca 7. Benef. 10. eleganter differit. DEUS meliorem illis mentem instillavit, quam ut lucrum velint in arca, damnum in conscientia: non optant anguillas turbato querere stagno aut ex alienis incommodis sua commoda augere; ruminantes quod malè parta pecunia -- momento labilis hora Transmutet dominos & cedat in altera jura. Horat. 2. epist. 2. Quin imò, tam ardens est justitiæ amor, ut vel gratuito patrocinio clientem, cui res adeò est angusta domi, ut sumtibus non sit ferendis, impertiant, videlicet magis solliciti, quo modo inopiæ & rei familiaris lacunam benedictione divinâ, & hanc, ut cæcias nubes solet, attrahente parsimoniâ, optimo illo vectigali, expleant, quam ut avaris unguibus caduca hæc bona corradant. Vide Carpz. *Illust. decis.* 202. Berl. par. 1. concl. 9. num. 60. &c.

§. 22. Magna est laus quod auri cupiditatem intra virtutis limites continere sciant, major verò quod honoris & gloriæ suiq; amorem cunctis mortalibus ipso horoscopo innatum, modestiæ frænis cohibeant. Non

enim illos se aut scientiam suam, inutili præconio, nam aliorum excitante, extollentes audies: non magno hiatu multa de se promittunt, sed reapse ostendunt: solida scientia ipsos non inflat, sed & hîc, *didicisse fideliter artes: Emollit mores nec sinit esse feros*, juxta illud Nasonis 2. de Pont. eleg. 9. Quemadmodum enim sol quò est altior, eò minores: quò demissior eò majores facit, & *decedens crescentes duplicat umbras*, dicente poeta, ecl. 2. & ut spicæ granis plenæ capita demittunt inanes sua superbè erigunt, doliaque vacua magnum sonant non plena, sic homo quo altior est in doctrina, eò minores arrogantiae umbras de se spargit, quò sapientiæ thesauris est plenior, eò submissius se gerit, quò sonantior eò rudior: jactantia enim quid est aliud quam hinnitus stultitiæ? ruditatis pedissequa? præfractæ mentis perfrictæque frontis contubernalis? Hujus verò modestiæ gradus non infimus est, ut decoro, ordinique suo & statui conveniente vestitu sint ornati, vide Magon. in cynos. advoc. cap. 31. num. 51. Cum enim superbiam odio internecino, & plùs quàm Vatiniano prosequantur, ut diximus, quî *superbas vestes*, id est, ut Augustus Cæsar eas nominare solitus fuit, *superbiæ & stultitiæ vexilla* amarent? Atque nulla est causa, quæ ad id calcaria eis addat, est potius quæ dehortetur: imperitorû enim rabularum hoc est stratagema, ut *tanquam asinus Cumanus*, pretiosarum vestium splendore auctoritatem sibi conciliare studeant, quo major clientum numerus ad se confluat: at generoso vino vendibili non est opus hac hederâ suspensâ; merx putida non proba laudante præconis voce eget. Vide seq. §. 37.

§. 23. Sed Cynthius nobis aurem vellit, ut paulò antè apprehensum filum sequamur & fidem exolvamus, malorum militum exemplar (similium advocatorum arche-

archetypum) in theatro hoc collocantes & accuratius contemplantes. Hic verò plures non quærendi nec de paucitate querendum : quot militiam sectantes, tot ferè facinorosos vides : ita tamen ut & aliquot excipiendos adesse non negemus : quod qui ignorat *Ostendi solem postulat ille sibi : Nec frontem in sylvis , nec aperto mollia campo , Gramina nec pleno flumine cernit aquas* (Ovid. 5. *Trist. eleg. 4.*) Quis enim est, qui nesciat, bellum esse arcem & asylum decoctorum, præsidium fugitivorum, propugnaculum infamium, officinam pigrorum artificum, aram & naufragii tabulam, creditoribus satisfacere nesciorum. Ut justissima sit *Lipsii* querela illa : Hodiernam militiam tristi oculo intueor, pudendam lugendamque nobis, hosti ridendam aut spernendam : itaque cogor apertis tibiis canere, & illa militiæ flagitia palam aspernari, atque adeò imaginem ejus proponere, non ut convitium ævo faciam sed ut medicinam. Nam principio, dilectus quæ forma apud nos? nulla : emunt militem non legunt : pecuniola proponitur, tympanum strepit, & ecce coeunt aliquod ignoti inter se ignorantesque, purgamenta urbium suarum, quibus ob egestatem & flagitia, maxima peccandi necessitudo est, assueti latrociniis, bellorum insolentes atque, ut uno verbo absolvam, quorum lingua varia, manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces, quæ honestè nominari non possunt inhonestissima : plerique enim profectò (nam omnes absit ut culpam) aut si qui melioris notæ immixti, facile abripiuntur & velut abduçuntur à reliqua illa fece. *Hæc ille.* Atque hinc illæ lacrymæ, hinc tanta malorum militum multitudo & viperina progenies ex vitiis & flagitiis conglutinata!

§. 24. Principio enim, quàm immensa cupiditate mali hi milites monstrum illud terrificum, humano ca-

clavere victitans, ubicunq; sese vertit, omnia devastans,
bellum dico, desiderant? quàm assidua voce oscines hi
 ad Garamantas & Indos, ultraque Sauromatas & glacia-
 lem oceanum relegandi, *nulla salus paci, bellum te*
poscimus omnes, cantillant? Unfried in aller Welt:
 so gelten die Soldaten Geld. Burgold. *Not. Imp. pag. 1.*
Disc. 16. aph' 5. Libentiùs illi horrendum sanguineq;
 madens Bellonæ flagellum quàm publicam quietem dul-
 ci securitate ridentem aspiciunt; nulla ipsis res jucundi-
 or quàm inhumana humani sanguinis profusio, civium
 & hostium pariter trucidatio; sed togata pacis munia,
 ut pestem, detestantur, unicè læti, si agros, villas, domos,
 tristi Vulcano flagrantes videre possint. Atque hinc ni-
 hil non movent, ut quantum possunt, iræ & hostilis odii
 scintillas in Principum animos spargant, sparsas scelesto
 adhortationum & exaggerationum folle, in maximam
 flammam excitent, atrocemque Bellonæ vultum suavi-
 ore velo obtegant, hoc detestando consilio, ut latissimus
 rapiendi, prædandi, extorquendi campus, sibi aperiatur,
 per quem auriferum divitiarum Tagum, in loculos suos
 derivent. Experienciâ enim sunt edocti, bellum com-
 pendiariam esse viam, ad aureos montes inveniendos,
 ad insatiabilis avaritiæ barathrum explendum, ad
 æris alieni vincula promptè rumpenda. Et quis ergo
 credat? hos ingenii aciem ad causæ bonitatem exami-
 nandam flectere, cum auri color splendidissimus iudicii
 oculus ita octenebrarit, hebetarit & excæcaverit, ut tal-
 pa quavis aut Thebano vate, Tiræsia, sint cæciores. In-
 de nec conscientiæ, nec religionis, nec patriæ, nec vitæ
 æternæ ullam habent rationem sed unde arrhæ, stipen-
 dii, prædæve majoris spes affulget eò fidem transfe-
 runt, ut de illis verum sit Poetæ, per Emathios campos
 bella gesta narrantis; *Nulla fides pietasque viris qui ca-*
stra

stra sequuntur : Venalesque manus ibi fas, ubi maxima merces. Quàm facile illi juramento fidem addunt, tam facile fidem ære sollicitati frangunt, hosti omnia produnt, quin & ad castra adversa deficere parvi ducunt: quæ enim res, pectori auri sacra fame stimulatopessulum obderet? quod scelus his videretur magnum qui tanta flagrant avaritiâ, ut (juxta illud legatorum, Scythicorum apud Curtium *lib. 7. cap. 8.*) si Dii habitum corporis aviditati animi parem esse voluissent eos orbis non caperet, una manu orientem altera occidentem cõtingerent? Quid istæ Harpyæ quibus, *Uncaq, manus & pallida semper, Ora fame* (Virgil. *Æn. 3.*) curarent, an quid sit captum an verò raptum? modo sit aptum: hostis sit an socius? amicus an inimicus, is cujus loculum exenterant? quæ illis, quibus *lucris bonus odor est ex re qualibet*, oleum unquam esset in lecytho, ut aut preces supplicum, aut lacrymæ querentium, aut integritas innocentium, aut ædium sanctitas, eis vincula & compedes injiceret? qui, ut Cyclopica natio, jura negant sibi nata, nihil non arrogant armis, cum Mario joculari soliti, *se legum vocem præ armorum strepitu exaudire non potuisse.* Nec avaros istos quandoque spes fallit, sed belli ignis loculos frigidos refocillat, summam pecuniæ copiam, Midæ etiam divitiis majorem, acervant, pretiosissimas villas coemunt, amplissimas ædificans domos, dapniles in victum & amictum sumtus faciunt: sed quo eventu hæc omnia? quis colophon bracteatae illi felicitati imponitur? funestissimus sanè; quis enim DEO maledictionis fulmen vibrante, validaque manu calamitatum sagittas atrocissimas mittente, benedictionis clypeo eas avertet? quis nescit *malè parata pejus dilabi*, cum tempore collectas divitias injustas ex tempore dilabi? Corraferunt illi divitias, sed hæc *vio-*

lento turbine rapti Pulveris instar erunt, volucris quem
 concita gyro, Aura levis torquet vacuo ludibria celo
 Buchan. *Psalm. 1.* Extortæ illæ opes, illitos cibus hamos
 & opertos præda laqueos æmulantur, cum aliis faculta-
 tibus haustæ & multiplicatæ, retro secum quicquid atti-
 gerunt referre soleant; verba sunt Plinii in *paneg. ad*
Trajan. Aurum stulti collegerunt, sed, ut est in pro-
 verbio, *Tholosanum*, quod innumera malorum & da-
 mnorum agmina in possidentis cervicem, conjugem, li-
 beros, bona, attrahit. De aquilarum pennis vulgò fer-
 tur, quod aliarum avium pennis mixtæ occulta qua-
 dam vi eas consumant, hisque consumptis intestino, *ut*
sic dicam, bello se corrumpant. Aquilinis hisce pen-
 nis simillima est pecunia, ex sanguine & visceribus mi-
 serorum & innocentium in bello expressa, hæc omnem
 militum substantiam etiam justè quæsitam primò con-
 sumit, tum & ipsa improvise sub manibus dilabatur, pe-
 reunt villæ, deflagrant ædificata, adeò ut improbis do-
 minis res ad restim, vel si mitius, ad rastrum aut eò de-
 veniat, ut porcos pascere cogantur, unde in proverbio
 abiit: *Kriegers Gut dehet nicht. Ein junger Sol-*
dat / ein alter Bettler. Et licet malæ malorum militum
 divitiæ dicto modo non dispareant, tamen aliæ pœnæ,
 miseræ, in orbi, damna, eò sunt asperiora, tandemque
 infelices, in æternum gehennæ ignem, (nisi seriâ pieta-
 te viperina progenies, *ut Johannes Bapt. ait*, delicto-
 rum veniam impetret) detruduntur.

§. 25. Sed pergamus, *impudentem*, eorum *auda-*
ciam cominùs visuri. Possemus vero, si sermonis fuso
 latiore aream designare animus esset Asiatico stylo va-
 ria militaris audaciæ specimina & diversas sortes referre,
 possemus proponere tales milites audaculos, qui ob
 quodvis verbum minus delicatum & papavere sesamo-
 que

que non sparsum ex scelerata vindicta aut inanis gloriæ
 stimulo, rectæ rationis fræno, legum severissimo inter-
 dicto, Dei aut ejus vices gerentis magistratus, timore,
 ne quicquam audaciam retardante, ad duella profiliunt;
 belluas scilicet multum superantes, *major enim serpen-
 tum concordia parcit: Cognatis maculis similis fera
 quando leoni: Fortior eripuit vitam leo? quo nemore
 unquam, exspiravit aper majoris dentibus apri: In-
 dica Tigris agit rabida cum tigride pacem; Perpetu-
 am sevis inter se convenit ursis. At homini ferrum
 lethale include nefanda, produxisse parum est; ut
 Juvenal. sat. penult. justo stomacho conqueritur. Pos-
 semus ostendere Alexandrum, magis ad famam temeri-
 tatis quàm gloriæ insignem rem ausum, dum in Oppi-
 dum Oxydracarum (teste Curtio lib. 9. c. 5.) hostium
 rabiosam multitudinem, nimborumque ad instar in se
 ruentia tela nihil moratus, præcipiti saltu ipse solus sese
 immisit, è quo periculo non tam sua virtute, quam
 immeritâ fortunæ æquitate fuit ereptus, gravissimis ta-
 men vulneribus castigatus: Possemus ostendere J. Cæ-
 saris audaciam, ardente ventis mari, nocte concubia
 speculatorio navigio, nullo comite ad exercitus partem
 Brundusii moras ne tentem ire non dubitantis: Florus
 lib. 4. cap. 2. Lucan. lib. 5. sed non id nunc quidem no-
 strum erit argumentum, quin potiùs audaciam militum
 impudentiâ permixtam, & quasi maceratam, utpote
 scopo nostro accommodatiorem ob oculos ponemus.
 Et quid illi homines non auderent: quæ res impuden-
 tiæ pedicas injicere valeret? quibus omnes leges, ut
 araneorum telas gladiis suis facillimè rumpi posse per-
 suasum est? *Non his quid deceat, sed quid fecisse lice-
 bit; Occurrit mentemque domat respectus honesti;*
*Claud. IV. cons. Hon. calcitrosi & effreni more equi o-**

mne impudentiæ curriculum, omnem audaciæ circum
 absolvunt, ut externo habitu, sic & fronte ferrei. Quàm
 impudenter Ducum Imperia aut ludibrio verbis habe-
 re? aut reapse spernere audent, ceu illustre ejus rei ex-
 emplum est apud Tacitum. *1. Ann. 16. 17.* Sed quid
 duces cito? quasi verò illos hominum autoritas re-
 frænare posset, quos Omnipotentis Dei timor & ipsa re-
 ligio revocare & à talibus ausis abstertere nequit, cum
 sacrilegis manibus & Gigantea audacia templorum ali-
 arumve ædium sacrarum sanctitatem violare parvi du-
 cant. Maximè verò si fortuna utramque, ut dicitur,
 mammam eis porrigat lactendam, si Bellona victrices
 aquilas suas, hostiles per campos præcedat, tum demum
 audaciæ forex impudentibus factis sese prodit. Veritatis
 specula, exempla dico, fugitivis oculis inspiciamus!
 Qua fronte fuisse putamus Cornelium Centurionem
 Augusti Cæsaris, ad fasces Consulares deprecandos in
 Urbem missum? qui, juxta Suetonium *in Aug. cap. 2.*
 nec sacro-sancta Senatus autoritate, nec magnifico
 curiæ splendore, etiam Gallis in Urbem irruentibus
 formidabili, deterritus ad Patres conscriptos petito suo,
 seu potiùs, imperio, non statim totis capitibus annuen-
 tes, rejecto, ut sagulo, sic pudore, & ostenso gladio di-
 cere est ausus, *si vos non facietis Augustum consulem
 hic faciet!* Sat hoc quidem audax, sat impudens faci-
 nus: illud vero ut majoris viri, sic majoris vitii est, quod,
 si credimus Suetonio. *1. cap. 76.* Julius Cæs. tam audax
 fuerit, ut præter summos honores, sine ullo pudore, hu-
 mano fastigio majora, *thensam pro tribunali, templa,
 aras, simulacra, juxta DEOS pulvinar, sibi decerni
 passus.* Sed tamen hic quidem se Deum non esse crede-
 bat & credi volebat, ad fastigium ergo omnis impuden-
 tiæ audacissimæ processit Alexander, qui autore *Curtio.*
lib.

lib. 8. cap. 1. de 5. lib. 4. cap. 7. & Val. Max. lib. 9. cap. 5.
 humanæ sortis oblitus, filii nomen ab Jove (ut adulator
 Jovis Hammonis sacerdos mentiebatur) sibi redditum
 accepit, & agnovit, his audaciæ gradibus evidentissimis
 exultans, & tandem eò impudentiæ deveniens, ut Jo-
 vis filium se non tantum dici, sed & credi vellet. Sed in
 hoc themate *exemplorum desinere* non indigere possu-
 mus, itaque nunc.

§. 26. *Ebriositatem rixosam* consideremus. Quod
 si enim ad cauponas & ænopolia eamus, quantum ibi
 ebriosorum militum multitudo & examen! quanti
 sunt tumultus! quàm capacibus ibi cyathis hauritur,
 quàm generosum purum putumque, ut à sua matre na-
 tum est vinum, funditur! quam avaris & plusquam
 Tantaleo ardore inflammatis faucibus convivæ inver-
 gunt, ita ut aqua & igni (frigus enim vinum commen-
 dat) Bacchi liquoribus sit interdictum. Si sermones ca-
 ptes! nihil aliud audies quàm illud antiquum ἢ πῖθι
 ἢ ἀπῖθι: & *More Palatino bibimus ne gutta super sit,*
Vnde suam possit musca levare sitim, cum atrocissimis
 blasphemis. En tibi! Alexandrum, illum & Martis &
 Bacchi filium, qui tam strenuus fuit potator, & assidua
 consuetudine tam benè picatum ventrem fecit, ut per
 decem continuos dies, amphithetum meraciùs evacuan-
 do Libero patri sacra temulenta celebrare valeret, post
 illa ebrietatis certamina duos integros dies totidemque
 noctes dormire & sic crapulam exhalare solitus; vide
 præter Plutarch. Athen. Ælian. Curtium lib. 5. cap. 7.
 lib. 8. cap. 1. & 10. lib. 6. cap. 2. Unde illud Germani-
 cum: *Sauff dich voll und leg dich nieder: Steh früh*
auff und füll dich wieder: So vertreibt ein Rausch den
andern/Sprach der grosse Alexander. Huic similis ter-
 ror quondam Italiæ & flagellum Romanorum, *Han-*
nibal,

nibal, qui post pugnam Cannensem, uti non voluit victoria sed frui: milites iussit ut non parcerent vino, qui antea non pepercissent ferro, & nunc tantum vini, quantum antea, cum duos maximos exercitus ad satietatem & internecionem cæderent, sanguinis fundere satagerent. Et quem, nisi rerum omnium ignarum fugit, quam fo-
lennè sit militibus gregariis genio & vino indulgere? immania pocula, tricongio etiam Ciceroni terrorem incussura uno haustu spirituve, ne quidem cottabo facto exsiccare, ad vinum, vel cerevisiam, dignam Baccho tempestatem, excitantem, non tam invitantes se quàm cogentes, denique quasi sub Zona torrida habitarent liquores ingurgitantes. *Ille* jactat quatuor vini mensuras ad mentem suam de statione dejiciendam esse invalidas: *hic* jurat, se diurna & nocturna manu poculis pergræcari integra septimana posse! *alius* maximam obbam, ad sumitatem repletam, ad fundum haustam, commilitoni ebrietatis violentia in terram prostrato porrigit. Vidimus in cujusdam centurionis tentorio depictam statuam, cum hac inscriptione

DEO. OPTIMO. MAXIMO.

BACCHO.

LÆTITIÆ. PATRI. CERTISSIMO.

SOCIETATIS. CONSERVATORI. POTENTISSIMO.

TULELARI. CONVIVARUM. NUMINI. CLEMENT.

STATUAM. HANC.

POSUERE.

SACRAM. FECERE.

PAMPINEA. QUE. CORONA. CINCERE. HUMILIMI. EJUS. CLIENTULI.

ET.

FIDELISSIMI. SATELLITES.

N. N.

N. N.

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis !

§. 27. Et quid non designat ebrietas ? primogenita ex numerofo vitiorum partu est *rixa* ! vini enim & iræ individuum esse contubernium, benè dixit quicumque dixit, cum vino non *lymphato*, mens tamen *lymphata* efficiatur. Circæa pocula externam hominis formam mutabant Homer. *Odyss. K.* at mens firma erat sicut priùs: vinosi Bacchi pocula, non tam externam quàm internam hominis formam mutant & plusquam belluinam sævitiã instillant. Inde inter Bacchi thyrsiferos jurgia sonare & hac tubã animos accendi, mox *transcurrere gabatas volareque lances* (Martialis verba sunt) & natis in usum lætitiæ scyphis Thracum more pugnari videmus:

Mox clamore pari concurritur, en tibi ferrum;

En scamna ! en fustes ! paucæ hic sine vulnere mala,

Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus

Integer, aspicias jam cuncta per agmina vultus

Dimidios, alias facies & hiantia ruptis

Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.

uti talia sacra depingit Juvenalis *sat. XV.* Unde post-

modum multos videmus specie Deiphobum Virgilia-

num. *VI. Æn.* repræsentantes - *laceros crudeliter ora,*

Ora manusque ambas, populataque tempora raptis,

Auribus & truncas inhonesto vulnere nates.

§. 28. Sed fortiùs in gyro nostro nobis est curren-

dum ! ad *militarem* itaque *superbiam*, nunc devenia-

mus, nam & hæc non minimũ est malorum militum vi-

tium. Atque si in ullo hominum genere certè in militi-

bus

bus vitium hoc florentissimum conspicitur, quod in in-
 timia cordis penetralia omnemq; succum & sanguinem
 sese diffudit, atque hinc in omnibus corporis partibus,
 velut scabies sese exerit, quam quo magis frices eo
 magis irrites: *Hac quibus intumuit suffusa venter ab-
 unda. Quo plus sunt pota plus sitiuntur aqua.* Quanta
 est primariorum, sed quid dico, primariorum? imò, o-
 mnium vix decem sub se milites habentium superbia?
 cives aut rusticos vel dandorum aut faciendorum multi-
 tudinem aut acerbitatem deprecaturus, aut gregariorum
 militum, hybernantium vel transeuntium, malitiam
 delaturos vel id genus aliud petituros, ne in conspectum
 quidem admittunt, tantum abest, ut benigno eos vultu
 dignentur aspicere, superbas miseris aures præbeant at-
 tentas, aut aliquo solamine refocillatos dimittant, nisi
 petituri, prius palpo argenteo eos demulceant, super-
 bix obstacula & munimenta aureis scalis exsuperent, fos-
 sisque dono expletis, viam ad superbiorum aures sibi
 sternant. Sed hic superiorum est factus; ille omnium,
 quod spreta, ut plurimum veritate, fortitudinem suam
 plus quam Achilleam jactare, facta sua ultra Martis præ-
 lia extollere, aliena ad tartara deprimere soleant: vide
 Curtium *lib. 8. c. 1.* dum scilicet narrant, hunc hostem for-
 ti dextra se cepisse, istum in fugam convertisse, *in illo
 prælio aliquot legiones spiritu difflasse quasi ventus fo-
 lia aut panniculam tectoriam: ut in Mil. glor. jocatur
 Plautus. A. 1. S. 1.* illius urbis fossas primò tranasse, in il-
 lius castri oppugnatione coronam muralem accepisse,
 hoc se stratagema invenisse, illud salutare consilium sug-
 gessisse & sexcenta alia, quæ libens prætereo, ne post
 Homerum iliada, post Maronem Æneida scribere, aut
 post Iulianum, ego corvus canere tentem: si gloriosum
 militem accuratiori penicillo delineare satagam, quam
 salibus

salibus & facetis abundantissimus Plautus fecit. Et quales eos post victoriam esse autumas, qui ante eam superbiam cristas tam altè extollunt? Etenim, quis ignorat, victoriam, juxta illud Ciceronis *pro M. Marcello*, & *lib. 4. epist. fam. 9.* naturam esse insolentem & superbam, idemque vitium victoribus inspirare & ceu venenum instillare, etiam melioribus & iis, quibus nec natura, nec prava consuetudo, hujus vitii semina in animum sparsit. Tanta est exemplorum copia in promptu, ut non tam prolixitas quærenda, quam satietas vitanda. In quamcunque verò militarium virtutum partem convertimur, velimus nolimus in Alexandri nomine hæreamus necesse est. Hic, post devictum Darium, post subjugatas tot & tam validas gentes, post partas tot victorias moderatorem (illud in altissima quaque fortuna eminentis bonum) in superbiam vertit, patrios mores, disciplinamque Macedonum Regum salubriter temperatam, & civilem habitum, velut leviora magnitudine sua ducens, Persicæ Regiæ, per Deorum potentiam fastigium est æmulatus, jacere humi Macedones venerabundos, paulatimque servilibus ministeriis tot gentium victores imbuere & captivis pares facere expetebat: Curtius *lib. 6. cap. 6.* Non tam laxas superbiam habenas dedit Hannibal, eò tamen insolentiam Cannensis victoria ipsum deduxit, ut post eam, nec quenquam civium suorum in castris admitteret, nec responsum ulli nisi per interpretem daret, Maharbalis etiam, victoriæ cursum in Capitolium esse dirigendum, in curia victoriæ laurum figendam, in media urbe trophæa erigenda, salutariter suadentis consilium, solum quia alienum erat, sperneret, testibus Val. Max. *lib. 9. cap. 5.* Floro *lib. 2. cap. 6.* Et quo animo, fortunæ magnitudinem tulisse putatis C. Marium hominem novum & nullarum imaginum? eo scilicet, quo

quo ejus generis homines fortunam faventio-
 rem ferunt. Equidem dubitandum est, an ipsum bibac-
 iorem, an insolentio-
 rem dicam, cum hæc vitia inter se ita pu-
 gnent, quasi unum alteri infamem palmam præripere
 velit. Hic enim, post Jugurthinum Cimbricumque &
 Teutonicum triumphum, cantharo semper potavit,
 quod Liber pater inclytum ex Asia triumphum ducens,
 hoc poculi genere usus ferebatur, & sic inter ipsum vini
 haustum victoriæ Bacchi suas comparare, & non homi-
 nes sed Deos quotidie triumphando æmulari voluit:
Val. Max. lib. 3. cap. 6. similis in hoc, Duilio, qui cum
 hostilem Pænorum classem fugasset, sicque primum tri-
 umphum maritimum meruisset, postea unius diei tri-
 umpho non contentus per totam vitam, ubi à cæna re-
 daret, prælucere funalia & præcinere sibi tibias jussit:
Flor. lib. 2. cap. 2. Adeo felicitatis & moderationis di-
 viduum est contubernium! eò superbiæ, turgida hu-
 mani animi, mox tumidi statim timidi, vela, facilis secun-
 dæ fortunæ aura propellit! Et quid opus cætera milita-
 ris superbiæ genera verbosè enumerare? superbissimas
 militum vestes, caballos gressus glomerare superbos af-
 fuetos, aureis argenteisque phaleris ornatos, acupictis
 pretiosè peristromatibus instratos? cum quotidiana ex-
 perientia id monstret; ubi vestes auro distinctas, gem-
 misque adornatas, gladios ex argento, spicula auro præ-
 fixa & tantam ornatus luxuriam in omni agmine vide-
 mus, quantam, qui oculis non subjecere animis conci-
 pere non possunt, ut cum Curtio *lib. 3. cap. 3.* loquamur:
 ita ut illud simillimum sit exercitui Darii, Regis Persa-
 rum, contra Alexandrum euntis, hoc solo excepto,
 quod in castris Persicis sacer ignis & ethnica pietatis ra-
 dii maximè splendebant, ceu multis narrat Curtius *d. l.*
 in nostris ne scintilla quidem ethnica, nedum Chri-
 stianæ

Stianā pietatis appareat. Atque utinam (*quidem nisi vota supersunt?*) tantum exempla aliarum nationum & earum luxūs militaris, citare possem! utinam Gallica levitas intra Galliae fines tantum substitisset, nec ad Germanos quoque nostros perripisset, apud quos olim, ut Tacitus ait *de morib. Germ.* nulla cultus jactatio inter milites fuerat, sed pro dolor! degeneres majorum filii totā Gallis & Gallico habitu pendemus, nihil nostro palato sapit, nisi Gallico sale conditum, nihil placet, nisi Calliam oleat. Nescio, nescio, quid monstri alat, quā miseram Germaniae cladem minetur illud ominosum nefas; hoc tamen scio, cum Darius in principio Imperii vaginam acinacis Persicam, in Graeci gladii formam mutare jussisset, Chaldaeos praedixisse imperium ejus ad eos, quorum arma esset imitatus, tristi eventu transiturum, nec vanum augurium fuisse, ut jam alia ejus fortis omina & exempla taceam, tacite optans, ne patria degenerans inter dira haec exempla numeretur, & imperia plusquam servilia eorum doleamus aliquando, quorum luxum tam cupide sequimur. Sed quo ferimur? in qua nos diverticula impetus rapuit! in viam ergo redeamus & *convitiandi libidinem* aut alium hostium *contemptum* *timiditatemque* malorum militum audiamus.

29. Saepenumero mirati sumus illud barbarorum hominum Bactrianorum proverbium nihil barbari redolens, *canes timidos vehementius latrare quam morderi, altissima quaque flumina, minimo sono labi*, quo indicabant, timidissimum quemque verbis esse ferocissimum. Quam verissima haec sit sententia malos milites inspecturis clarissime patebit. Hi enim assidue, omne mordacissimorum convitiarum, Italo aceto perfusorum, virus in hostes effundunt, gravissimas quasque minas eructant, hostem muscā debiliorem faciunt, timidi-

tatem ejus speciosè traducunt, & ut, ille apud Curtium, Alexandrum verbis super mensa debellant. Sed quid? si prælio *dat signum rauca cruentum, buccina*, si hostis aperto Marte est invadendus, tum qui viri sint ostendunt, & magno terrore parturientes antea montes, pariunt mures: nam in *pedes cunctis mens decit imos: palent ut nudis pressit qui calcibus anguem, vel Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram* Juven. *sat. 1.* (ubi victus orator aut scripta sua, lingua spongiaque delere cogebatur, aut ferulis objurgari aut flumine mergi debebat: *Farnab. ad d. sat. 1.*) *Solvunt his cornua ventrem, Cum lituis audita: Idem sat. XIV.* & tum tremula manu vix gladium stringunt, animo interea in timiditatis vagina altè recondito. Tu Dari! *quid cessas an tibi Mavors. Ventosa in lingua pedibusve fugacibus istis, Semper erit?* Virg. *XI. Æn.* Cur insanientem, ut appellabas, Philippi adolescentulum, non ipse coërces, quem Satrapæ tui, verberibus puerilibus graviter cæsum, veste purpurea indutum, vinctumque tibi, ut mandaras, tradere nequeunt? cur ceulepus galeatus, non stas in gradu, sed hosti, serviliter antea contempto tergum ostendis, Curtius *lib. 2. cap. ult. & lib. 4. cap. 14.* Et tu Marce Antoni, *lingua es melior sed frigida bello, Dexteræ; ἐπιβίβιον* ante victoriam canis, magnâ insania victoriam spe devoras, & hinc plures catenas ad hostes nondum victos vinciendos, quàm arma ad eos resistentes vincendos tecum in navibus portas! scilicet hinc est, quod tam acerbas vecordiæ pœnas dedisti, dum Cretes, navibus tuis interceptis, captivisque tuorum corporibus, ex velis ac funibus, pendentibus, triumphantes portibus suis adremigant, tuis catenis tuos vinciunt, & tam præposteram lætitiâ, tam crudeli castigatione vindicant, ut inter tantum ducem & fugitivum, inter tantum

tum exercitum, & nullum aliquot tantum horæ inter-
 cefferint. Florus *lib. 3. cap. 7.* Tantam tam sapientis ho-
 minis imprudentiam & si scapha scapha est appellanda,
 stultitiam admiratione dignam omnes judicabunt, quid
 verò de Cheruscis, Suevis & Sicambris, gentibus bar-
 baris sapientiùs expectes, quam quod Druso Imp. bello
 eos aggrediente fecerunt, cum Romanam prædam in
 antecessum, pactione dividerent, Cheruscis equos, Sue-
 vis aurum & argentum, Sicambris captivos eligentibus.
 Sed victor Drusus, equos, pecora, torques, ipsosque
 cum præda divisit & vendidit: si credimus Floro *lib. 4*
cap. 12. Hæc quidem barbara erat stoliditas, illud verò
 factum quo nomine, pro rei magnitudine insigniatur?
 non satis liquet, quod non populus aliquis barbarus, sed
 Romanus, omnibus artibus sagatis, ultra omnes alias
 gentes excultus: non unus forte Antonius, sed tot in
 Senatu viri, prudentia & experientia militari radiantes,
 Macedonici belli exorientis scintillas, ab Andrisco, ulti-
 mæ fortis homine, Regem Macedoniae se mentiente, &
 hinc illam invadente excitatas, in primo ortu restingue-
 re neglexerint, donec in magnam flammam excitatæ
 Juventium prætorem cum legione hausissent, Capitoli-
 um etiam incensuræ nisi prætor Metellus eas magno ho-
 stilis sanguinis flumine restinxissent. Florus *lib. 2.*
cap. 4.

§. 30. At quibus artibus quæ mediorem justitiâ bel-
 lum gerant & causam defendant? inquiramus. Illi ve-
 rò nihil minus agunt, quam ut ad rectæ rationis state-
 ram, & juris gentium mensuram ea revocent, minùs an
 infamem reddant victoriam nec ne perpendant. Et quid
 enim hi sine ullo discrimine, sine omni justis vel injusti
 cura, pronis & avaris manibus, crudelique ferro causam
 quamcunque defendendam suscipientes, de mala causa

bonis artibus & licito modo propugnanda essent solliciti? quid scelera hæc ad iniustitiæ fastigium grassantia iustitiæ scalas applicarent? Hinc est, quod arte seu Magica seu narcoticâ nervorum origines obstruant, sensationem sensu stupefacto impediant & contra vulnera corpus impenetrabile efficiant, quod & hodie fieri atque etiam, (quicquid alii credant) fieri posse, multis ostendit Burgoldens in Not. rer. *Imp. p. 1. disc. 1. p. mihi 115.* Ex eodem fonte impurissimo fluit, quod sagittas, fones, panes, globos veneno inficere, hostem clam immisso sicario tollere nulli dubitent: vide Grotium de *Jur. b. & p. lib. 3. cap. 4. §. 15. & seq.* Wendelini *Polit. lic. 2. cap. 41. in fin. & cap. 44. ib. §.* quod fidem datam fallere, induciarum candorem violare, hostem ambiguis verbis aut dolosâ promissionum interpretatione, aliove mendaciorum genere circumvenire, non criminis sed laudi sibi ducant. Utinam libero pede per patentissimum historiæ hortum vagari, exemplorumque flores ad lubitum decerpere liceret! sed dabimus veniam columbis & cura erit vexare corvos, hoc est, ne Oedipo sit opus, minores reos per plagas elabi, majores aliquot hinc coram iustitiæ tribunali, ut se sistant, faciamus. Primicerius erit Marcus Aquilius qui reliquias belli Asiatici ab Aristonico moti citò confecturus, mixtis veneno fontibus, quasdam urbes ad deditiorem compulit, atque ita naturam quidem, sed infamem victoriam fecit, contraque fas Deum, moresque majorum, impuris medicaminibus in id tempus sacro-sancta Romana arma violavit, ut Florus ait *lib. 2. cap. 20.* In hanc classem referendus Imperator Manuel Comnenus qui Conradi Suevi Imp. exercitum panibus ex farina, tenuissimo gypsi pulvere mixta, paratis delevit: Peucer. *lib. 4. Chron.* Accede & ad ignem hunc! tu Servili Cæpio!

pio!

pio ! jam calesces plus satis, dum te non puduit, Viriathum Lusitanorum Imperatorem extremâ deditio-
 nis jam agitantem, per fraudem & domesticos percussores
 aggredi & sic non solum victoriam violare, sed & hanc
 hosti gloriam dare, ut visus fuerit aliter vinci non posse :
 Flor. lib. 2. cap. 17. quàm longè, tu quidem, à majorum
 tuorum vestigiis abiisti, quàm dissimilis tu C. Fabricio,
 qui perfugam pollicentem, se Epirotarum Regem Pyr-
 rhum, veneno necaturum, ad domini castra reducen-
 dum & facinus, quod molitus erat indicandum curavit,
 Cicer. 3. de off. sicque non solum S. P. Q. R. applausum
 sed & ipsius hostis laudem est meritus, qui quoties de
 Fabricio loqueretur, dicere solitus fuit, *ille est Fabricius*
qui difficilius ab honestate quàm sol à cursu potest aver-
ti : Aurel. Victor. de Vir. illust. Denique dica scriben-
 da est Cleomeni, qui dolosa verborum interpretatione
 hostem fefellit, dum, cum centum triginta dierum es-
 sent pactæ induciæ, noctu hostiles agros est populatus,
 quod *dierum* non *noctium* induciæ essent pactæ : Cic.
 1. off. dignus qui ob fabra hæc excogitata, ejusmodi la-
 queis vicissim capiatur !

§. 31. Quis verò miretur, si tot scelera in bello vigentia, &
 perpetrata in justitiâ, infelici, vel prælii unius, vel totius
 belli exitu, justissimus Deus puniat ? quid mirum est, si
 quis Catilinam inauditum scelus anhelantem, pestem
 patriæ molientem, *seditionis incendium, Reip. ruina*
se restincturum minitantem, & jam infestis signis ad ur-
 bis excisionem advolantem, hostili ferro exanimatum
 videat ? Sallust. de bell. Catil. Quis stupeat ? Si Con-
 sulis Craffi, Parthos ob solam purioris auri cupiditatem,
 contra fæderum sanctitatem, injusto bello aggredientis
 caput rescissum, omnium ludibrio expositum, auro li-
 quido in rictum oris infuso repletum aspiciat ? Flor. 3. c. 1.



cum scelerati hi milites meritis, vulneribus *ad generum Cereris descenderint*. Si verò talis aliqua infelicitas eveniat, si votis fata malignum pedem opponant, si bello, vel acie vincantur mali milites, tum verò non se suamq; ignaviam & Diis hominibusque adversa scelera accusantes audies, sed vel hostium fraudem, vel multitudinem, suorum vel paucitatem vel timiditatem, vel cœli inclementiam, vel loci, in quo pugnatum incommoditatem, vel præfectorum socordiam aut corruptionem: & alios mille colores culpæ suæ prætendunt, omnibusque eam modis palliant. Est enim suo more, hoc est, politè & politicè differente Tacito, *in Agric. iniquissima hæc omnium bellorum conditio, ut prospera omnes sibi vindicent, adversa nemo, sed ea aliis imputentur*. Unicum quæso Bessum, Bactrianorum apud Darium, ducem intueamur! in quo, ut in clarissimo speculo, reliquorum ejusdem animi & moris militum naturam ad unguem cognoscere poterimus. Hic, post desperatam Monarchiæ Persicæ salutem, altum de ea re silentium agebat, quod cum parricidii sui socio Nabarzane, Darii, ut fortem Virum & regem, *adversis rerum undis immerfabilem*, decebat, novam prælii fortunam tentaturi, & mitiores fortis vices acie impetraturi consilia, pro temporis necessitate salubria, proditione sua impedivisset, discordiæque, infelices potentiæ Persicæ reliquias & omnem salutis spem dissipantis excitatione discussisset, sed verbis ferox omnem infelicis successus culpam in Darium conferebat, socordia ejus hostium famam crevisse, occurrisse in Ciliciæ augustissimis faucibus, cum retrò cedendo incautos in loca, natura & situ, invia, potuisset perducere, tot fluminibus objectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis nec resistendi commoditatem nec fugiendi facultatem fuisset habiturus.

rus, clamat & *hac creta sese occultare* volebat, ceu totus est in hac re memoranda Curtius *lib. 5. cap. 8. &c. & lib. 7. cap. 4.*

§. 32. Sed satis, opinor, malos malorum militum mores proposuimus, juxta jam ponamus ejusdem farinae seu potius furfuris, advocatos, vultures togatos, criminulgas, æruscatores hominum, & canes Curiales, ut ita similitudo eo meliùs appareat. Atque hîc, primò, horum hominum tanta est multitudo, quanta improborum militum: ubique dives in omnibus judiciis est autumnus, & *spumat plenis vindemia labris*; Ac numero *tot sunt, quot in horto fertilis arvi, Punica sub lento cortice granarubent: Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos. Quod Sicyon baccas, quot parit Hybla favos* ut Ovidii verba *lib. 4. de Pont. eleg. 15.* mutuemur. Quis, nisi in Germania peregrinus? nescit, tam immanem in ea rabularum esse multitudinem quanta muscarum pulicum, culicum, & id genus bestiolarum, divexandis hominibus natarum, est in æstate. Ex quo facili Marte ratio iniri potest, quantus, talium rabularum sit numerus in Gallia, cum teste quodam Gallo, in unica Galliae Lutetia plures sint rabulæ quam in universa Germania, quæ tamen duabus partibus Galliae regno major est: Lans, *in Orat. contra Galliam.* Atque in promptu est causa ejus rei. Sunt plurimi in Academiis qui aureum Juventutis pomum *cum Paride, lascivæ Veneri* consecrarunt, aut tempus suum *Deo Pampineo,* vel, si melius, *Vacuna* dederunt, parum de Justiniano evolvendo solliciti. His aut loculus ita est exhaustus ut Academiis valedicere cogantur, aut res familiaris lacunam sumtibus factam hæctenus nescit, atque *ad Doctoris titulum emendum* satis nummorum in arca, restat. Prioris generis homines, quia, ut in Græcis artificibus

ajunt, *cytharæ di fieri non possunt, aulæ di fiunt* (Cicer. *pro Muren.*) quia majores desperant honores, & simul durum domesticæ necessitatis telum stimulat, ad munus procuraturæ, primò se conferunt & aliorum scripta describunt, processu temporis cum jam aliquid in praxi observarunt, tum statim ad advocandum profiliunt: vide Hiltrop. *Proc. par. 1. tit. 19. num. 42.* (quam praxin nudam & circumforaneam vocat: Joh. Fab. *ad §. sed non. 3. Inst. de legat*) interdum scripta non absque Theseo, & ex alieno jecore elaborant, atque hastas ab aliis amentatas in adversam partem torquent, idque levissimo pretio, & sive causa sit pessima sive optima: qui quidem, iudices circulari soliti, & inde scientiam aliquam hausturi, similes sunt Medicis, quos vocant, empiricos, qui aliorum discentes periculo, salutem hominum ancipitibus remediis & fallacibus experimentis periclitantur & per mortuorum cadavera ad scientiæ culmen sicut Tullia per occisum patrem ad regale fastigium, provolant, Val. Max. *lib. 8. cap. 11. Flor. lib. 1. c. 6. Posterioris generis mortales, cum solidam juris scientiam se hausisse stultitia dicitur, aut desperatio ab ea dehortatur, & tamen magnifico Doctoris titulo inhiant, non per templum Virtutis, sed Opis ad Honoris ædem ire volunt, laurum Doctoralem auro emunt, scientiæ lacunam ære complent, & sic, velut Cadmæi fratres ex dentibus è Jafone sparsis, ita illi ob sparsam pecuniam subitò Legum Dolores, inquam, Doctores enascuntur; qui quoniam curtissimis alis, loca, eruditione sua altiora, petiere, cum Icaro decidunt & ut Horatius *1. ep. 1.* loquitur, *mersantur civilibus undis.* Tolerari hi possent, sed & tales inveniuntur, fratres ignorantia, *asini* magis quam *Asinii* praxin scientes, opifices, qui ad medium Janum rem fregere, aliaque imperita peco-*

pecora, in quæ acriter invehitur *Carpz. p. 1. Const. 1. def. 18. num. 14.* & nos de iis egimus in tractatu de officio iudicis suppletorio. *part. 1. concl. 4. §. 2.* quorum error multo maximus est, ad forum tanquam ad sacram anchoram confugientibus sufficere, si loci consuetudines aut statuta noverint, ultra quas *Herculeas*, si Dis placet, *columnas* egredi religio eis est: *Hildrop. d. l. indigni qui in foro tolerentur Berl. par. 1. concl. 9. n. 40. &c. juncto Mevio. par. 1. dec. 189.*

§. 33. Et quid verò tales rabulæ majore desiderio quam lites amarent, & optarent? quid accuratiore opera quam dissidia excitare studerent? cum vel causam non intelligant sed solummodò generalibus suis axiomatibus innitantur, quæ per somnum forte obrepserunt: vel licet meliora videant tamen *cum Medea*, deteriora sequantur, literas obliterare, sigillaq; sugillare parvi faciant: *Carpz. Pr. Crim. p. 1. quest. iis. n. 94.* Sie halten es vor eine sonderliche Ehre und Kunst / ihrer Clienten böse Sache gut / ihres Gegentheils gute Sach aber böß zu machen; ja dörrfen sich wohl öffentlich berühmen / es solle keine Verschreibung so starck seyn / dadurch sie nicht ein Loch machen können / welcher ohnbefonnener Rede halber sie billich in das ärgste Loch solten gesteckt werden; ait Autor des Justitien Wercks. De aquila tale stratagemata narratur, quod cum hoste cervo, duellum initura in pulverem prius sese conjiciat, deinde cum ad pugnam ventum, cervinis cornibus infideat, pulverem pennis collectum in hostiles oculos spargat alis suis, os eousque verberans donec excæcatum cervum ex rupibus det præcipitem, sicque præda potiatur. *Schonborn, Polit. lib. 6. cap. 26.* Huic avi rapaci similimi sunt *advocatelli*, qui cum videant lites esse cornu copiarum, auream messem, emunctoria & catapotia, quibus oculus pur-

gatur, gallinam aurea ova ponentem : cum sciant juxta illud Taciti. *IX. Ann.* ut vis morborum pretia medentibus affert, sic fori tabem pecuniam ferre advocatis, ad tribunal currentibus calcaria subdunt, dubitantes instigant, nolentibus omnia promittunt, persuadentque iultissimam esse causam, (*Dein Sach ist schlecht und recht / uti in sacris Absolon*) injuriam verò ab adversario illatam, ne struthionis aut Stoico stomacho concoctu facilem. Hoc ergo litis pulvere in clientis oculos sparso, eum excæcant, excæcatum ad patrimonii scopulum tribunal, propellunt, propulsum ex divitiarum fastigio in imam summæ inopiæ vallem præcipitant : in hoc aquilâ multò crudeliores, quod non hostem, sed amicum se suasque fortunas committentem & commendantem (ut hedera arborem sub specie amici complexus) quasi enecent : de quibus rectè ait ex Cassiodoro, Autor Comitiolog. *Ratisb. par. 4. dissert. 9. num. 29. pag. mib. 272.* quod in corradenda pecunia oculos Argi, manus Briarci Sphynagum ungues, perjuriam Laomedantis, Ulyssis argutias, Sinonius fallacias, fidem Polymnestoris, pietatē Pigmalionis habeant. Ex quibus sua sponte fluit, ex avaro hoc semine Satanæ, neminem causam sibi oblatam ad conscientiam amissam. ad S. Scripturam lucernam, ad lydium juris & æquitatis lapidem, revocare, sed in fas nefasque verba locare, linguam & calamum venalia habere. *Magon. in Cynos. cap. 43. num. 17. Iess. lib. 2. cap. 31. dub. 9.* Re verò in iudicium deducta & cliente, litis laqueis, plusquam Gordiis, implicatum eorum res agitur, omnemque occasionem capillatam arripiunt, omnem movent lapidem, ut in miserorum loculos regnum sibi prorogetur, ad quam rem varia exquirunt aucupia, varias ponunt tendiculas causidici latratores. Causa in multas quæstiones, ut plurimum superva-

pervacaneas, & de lana caprina agentes spargitur, excogitantur in quacunque litis parte innumeræ excusationes & impedimenta legalia, atque exceptiones, ut verè vocantur, *dilatoria*, quibus ita lis differtur ut, ceu Berlich. *par. 1. concl. 9. num. 39.* casum habet, *post. 30. annos*, nondum litis contestatio fuerit facta: unde satis æstimari potest quousque exceptiones *peremptoria* sint duraturæ, etiam in prima instantia: certè Hieron. de Mont. narrat inter Gualdenses & Fabrianenses, 150. annis de finibus disceptatum. Nec nova est illa, ut Carpz. *par. 1. con. 1. def. 20. & lib. 3. Resp. 5. tit. 1. num. 40.* ait, doctrina & malitia diabolicâ, quod, ut tricus onerosæ, sæpè etiam impossibilis probationis antagonistam involvant & sic ad desperationem victoriæ & transactionis placitum, aut tamen sumptuosissimam litem eum adigant, advocati, imò rabulæ, clienti suo præcinant illud, *si fecisti nega*: vel si factum extra omnem dubitationis aleam sit positum, quæstionem juris, productis juridicis majoribus quam sunt duo *Cæsaris Anticatones* involvant: Carpz. *d. Resp. 5. n. 29. & seqq. & p. 1. c. 1. def. 7. & 19.* Berl. *d. concl. 9. n. 35.* legesque in multos mæandros & callidas variarum interpretationum, limitationum, correctionum, flexiones, & diverticula detorqueant. Nullum est caput legis, nullum verbum, nulla syllaba, aut litera, ex qua, non verisimilia argumenta elicere nitantur: sicque ex ampla æquitatis & veritatis planicie ad verborum & disputationum angustias & scopulos adversarium trahunt, & fideculis quasi adhibitis LL. torquent, ut pro sua sententia (vel tamen ex clientis loculo) aliquid extorqueant. Unde eleganter supra jam laudatus Autor *Comitiologiæ Ratisb. par. 5. in Notis §. 134. Rec. Imp. d. an. 1654. p. mihi. 351.* inquit: Alles was denen Doctorellis und
Ma-

Magistellis nur immer vorkommt / darüber wissen sie schon ihre leges und authoritates interpretum. Kommt aus den fabulis Æsopi ein casus vor/de asino mustum bibente, de lana caprina, de umbra asini, dann lassen sie nur dem Corpus Juris ein Ader / fluch! springt ein lex und text darauß/ welchen sie / als ein Pflaster / auff ihre rabular-stinckende Sachen und Wunden legen. Quibus omnibus modis & artibus, non solum inter homines, immortales inimicitia, excitantur, sed & catena nequitur, quæ constrictos tenet - *Et natos natorum & qui nascuntur ab illis;* & si forte heredum heredes postquam diu aureis hamis sunt piscati, victotiam reportant, illa sanè Cadmæa erit, magnoque impendio stabit. Tolerari hæc omnia, ut ut durissima possent, modò advocatorum cohors, fidei datæ memor *diligentiam, dexteritatem & integritatem* adhiberent; *id verò & nostra & Taciti. XI. annal.* tempestate verum est: *quod publicæ mercis nihil tam sit venale, quam advocatorum perfidia:* qui ab adversario exorati, aut pecuniæ magnete tracti, prævaricari floccipendunt, vel falsas adversarii probationes dolosè admittendo, veraque clientis argumenta, aut planè supprimendo, aut debito fervore non urgendo: Vel post instrumenta & documenta ejus perlustrata, secretaque cognita repudium mittendo, causamque spreto sanctissimo *Confessionis sigillo,* & juramenti præstiti religione prodendo: vide *Carpzov. Proc. tit. 5. art. 7. num. 12. Ord. Crim. art. 151. Struv. Synt. Civ. Exerc. 48. th. 100.* Et quid enim his sanctum esset, quibus sola pecunia est Deus & decus? vita & anima? *quæ referentia legum?* *Quis pudor aut metus est unquam properantis avari?* *Vnde habeas querit nunquam sed oportet habere,* inquit *Juvenalis sat. 14.* Id faciunt rabulæ - *quidam ut memoratur*

ratur Athenis, Sordidus ac dives, populi contemere
 voces, Sic solitus. populus me subilat, at mihi plando,
 Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca: Hor.
 1. sat. 1. Atque hisce ac similibus avaritæ modis & variis
 prædandi ac furandi vocabulis, dumque divites non so-
 lum tondent, sed & pauperes deglubunt ita ut simillimi
 sint homini inter crudeles latronum manus delapso, spo-
 liato, ad mortem vulnerato, sæpè quidem fiunt *Crasso*
Crassoque ditiores: sed, ut infausto ac maledicto syde-
 re bona sunt conquistata, sic eodem sydere pereunt.
 Grana se collegisse putant, sed sunt paleæ: cumularunt
 divitiarum quasi montem, sed hic, aut subitò, damno-
 rum chasmate corruit & subsidit, aut ex illo, ut *Vesuvio*
 calamitatum ignis erumpit, cuncta alia bona compre-
 hendens, perdens, absimens. Achan, ut ex sacris *Io-
 sue* 7. patet, furabatur, & furto non solum se, sed &
 suos filios, filias, oves, boves, & omnia bona in ignem
 præcipitabat. Gehasi callide argentum & vestes accipi-
 ebat. 2. Reg. 5. Sed ecce! *grave onus ac vestis lepræ*,
 sequebatur. Hæc rabulas tales avaros & perfidos fata
 manent, tales morborum, calamitatum ac miseriarum
 sagittas divina ultio in scelestorum corda jaculatur.
 Majores nostri, Germani, olim post *Varianam* victori-
 am crudelissimis suppliciis Romanos caudicos afficie-
 bant, aliis oculos, aliis manus amputabant, unius os su-
 tum rescissa prius lingua, quam in manu aliquis tenens,
tandem, inquit, *vipera sibilare desiste!* narratore
Floro lib. 4. cap. 12. Utinam hodiè talis esset fervor
 magistratum! Nec verò pænæ eorum vulturum sunt
 solummodò temporales sed & æternæ. Vidimus in ma-
 gni cujusdam Principis aula, scitam hanc picturam: sci-
 licet, dives quidam epulo mensæ instructissimæ asside-
 bat, cujus dextram *Thraso*, sinistram *Morio* claudebat:
 infra

infra hos erat rusticus, aratrum tenens, post quem miles crumenam ære gravem ostendens & ostentans, piæctus erat, quem advocatus, Confessarius, & Medicus sequebantur; postremò Diabolus, cum catena, velut ex hominum linguis conferta, agmem claudebat: diviti adscriptum erat, *hos duos (Thrasonem & Morionem) ego sustento: rustico, tres istos ego alo: militi, quatuor istos ego deprador: advocato, quinque istos ego decipio, confessario, sex istos ego absolvo: medico, septem istos ego occido: Sathanæ verò, octo istos ego in infernum mecum traho.* Huic picturæ geminum esse videtur quod ex Chassan. narrat Carpz. *decis. illust. 202.* rusticum quendam diu fagitatum suibus in stabulum cogendis, nihil proficere potuisse, usque dum stentoreâ voce exclamaret, *ite tandem in stabulum, sicut advocati & Procuratores in infernum:* & hoc audito omnes eò festinasse, quo dicto Johannes Petrus Ala, tanto fuit fulmine percussus, ut advocacioni renunciare concluderit. Fabula sit hæc nec ne, illud satis constat, pejoris luti patronos in eos tantum *campos Elysios* iri delatum, *ubi ultrix Erynnis parat penas, quæ Tantali vincant sitim, Dirum laborem Sisyphi, Titii alitem, Ixionisque membrarapientem rotam:* Senec in *Octav. Act. 3.*

§. 34. Sed properandum est ad *impudentem audaciam* malis advocatis, cum ejusdem commatis militibus, communem. Et hîc multis narrare possemus, quàm illi sæpè obstrepant judici, sibi non statim in omnibus annuenti, quàm torvo vultu & Tribunitia violentia, clientem, præsertim inferioris subsellii, intempestiviùs se interpellantem, impudentissimè excipiant, quàm audacter, tanquam circumforanei, quicquid in buccam venerit, perfrictæ frontis impudentiâ, in judicio latent, judici aures importunis sollicitationibus, pellucidisque menda-

mendaciis obtundant, loci religiositate, plane non deterriti; conf. Tholos. Synt. Jur. lib. 49. cap. 6. n. 32. Sed & notiora illa sunt quam canibus nostris Delia & adhuc graviora sunt; hoc sine non stat audacia, sed qui semel verecundiæ fines sunt egressi, graviter audaces esse consueverunt. Præ cæteris notabile exemplum suppeditat Suetonius in Claud. cap. XV. quod scilicet Imp. Claudii patientia pessimus rabularum grex tam impudenti audaciâ sit abusus, ut ad ipsum, more antiquis Principibus & regibus usitato, pro tribunali jus dicentem, Græculus quidam litigator dicere non erubuerit καὶ σὺ γέρον ἐί, καὶ μωρός i. e. & tu senex es & stultus. Alii à tribunali discedere parantem non solum voce revocabant, sed & dicto non audientem, lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinebant. O tempora ô mores! quid hoc est, si non est singularis audaciæ & sceleratissimæ impudentiæ exemplum sine exemplo?

§. 35. Sed ad aliam Scenam pergamus, ebriositatem scilicet ob oculos posituri. Philosophus quidam, Epicuri de grege porcus, ab aliquo interrogatus, quodnam vinum palato suo esset gratissimum? satis jocosè respondit, illud quod ex alieno loculo profluit, indigitaturus scilicet, illud vinum esse saporis optimi, quod ab alio & alieno ære comparetur. Huic Philosopho (sit venia verbo) suum dant punctum & in ejus sententiam promptis pedibus concedunt, plurimi rabulæ, hinc omnes, occasionis, vinum gratuitum promittentis, articulos probè observant, tum demum aliquid ex suo loculo, Baccho immolantes, si aliunde nulla se occasio offerat. Si ad gallicantum consultor ostia pulset, ut Horatius ait, multi vinum sublimatum sive adustum exigere non erubescunt, ut scilicet hæc clave apertus prudentiæ penitissimæ fons, salu-

salubria consiliorum flumina emittat. Quibusdam vini, vel ex regionis genio, cerevisiæ votum, aliquibus involucris velare volentibus hoc in more positum novimus; ut clientulum, nescio quid impedimentorum, seriæ causæ considerationi officientium causati, ex suis ædibus ad cauponas deducant, ut ita *loci jure* admonitus, nolens volens vinum curare cogatur. Tandem cum nullam aliam bibendi causam perspicere possunt, ad sacram hanc anchoram confugiunt, ultimoque hoc stratagemate litigantes infelices aggrediuntur; Videlicet cum eos satis emulctos & emunctos vident, vel sua sponte litium telam exosos, aut causæ diffidentes, ad transactionem inclinant, quæ cum utrinque placet, *in adem concordia*, quod *œnopolium* vocatur, & ad Bacchum prima est via, hoc auspice & præside incipiendum & finiendum, cæteroquin, ut universali Germaniæ consuetudine receptum est, transactio ipso jure est nulla. Cum ergò ad destinatum locum perventum est, tum meraciùs bibere incipiunt, *crateres magnos statuunt & vina coronant* (Virg. I. Æn.) omnem scilicet iracundiam, transactionis venenum, vino propulsaturi. Cum jam *DEVS est in illis quo agitante calefcunt*, tum ad rem propiùs accedunt, partes componere acriter laborant, arcum nimum tendendo non esse rumpendum suadent, poculis decumanis ne quicquam cessantibus sed strenuè ultro citroque currentibus, eousque, donec nec lingua nec manus nec pedes officium suum amplius facere possunt, atque ita, primâ vice disceditur. Mox aliud secundæ conventioni tempus præfigitur, quo (ut phrasis est forensis) *priora repetunt*, sed majori studio opus urgent, & unum forte articulum litis, parvum placito, amputant, quo factò, pocula arripiunt, primum amicitia gradum & quasi lapidem fundamentalem positum clamitant,

auro-

auroramque mox exorituris solis concordia, capacibus
 cyathis ita salutant, ut sæpè reducis vini fontes mensam
 solumque inundent & somni tenebræ oculos corporis
 mentisque obnubilent. Postero, plerumque die tertio
 convenitur, idque suasu causidicorum *clavum clavo,*
malum malo pellere satagentium. Quia enim juxta
 Horatium 2. sat. 2. *corpus onustum; Hesternis vitis a-*
nimum quoque pręgravat una: Atque affligit humo,
divina particulam aure, hinc ad alia seria ineptissimi,
 Diabolum per Beelzebub, id est, elucum prioris diei
 majori ebrietate sequentis discutere volunt, perinde ut
Vulnus Achilleo, quæ quondam facerat hosti. Vulneris
auxilium Pelias hasta fuit: Ovidius lib. 1. de rem. a-
 mor. vulgò *Hundes Haar drauff legen.* Postquam i-
 taque tertiâ vice à Baccho, ebriosorum causidicorum
 Jove, principium est sumtum, tum ipsa litis capita ag-
 grediuntur, & damnosis sæpè conditionibus litem sopi-
 unt, eoque ipso recrudescit bibendi certamen & liti, sa-
 luti potationibus creberrimis parentatur.

§. 36. Præcipuum, & convivia hæc temulenta, ut
 lux solem, sequens, ferè essemus obliti. Nemo est qui
 nesciat, Bacchi pedissequam esse litem, ebrietatis comi-
 tem discordiam: nec ergò à vinosis advocatorum men-
 sis illa exulabunt. *Primo* de aliqua juris materia, inter
 facundos & facundos calices differe solent, illo hanc,
 isto aliam sententiam adoptante: interea vino dis-
 putandi fervorem augente & rixæ cornua addente, à pla-
 cidis sermonibus ad jocos Momi, plus nimio acumina-
 tos, adque convitia, tandemque, utroque opinionem
 suam, pro pragmatica sanctione & sacris oraculi effatis
 obtrudente, à verbis ad verbera descenditur, ex nullo ar-
 gumentandi modo, quàm *ferio* argumenta desumuntur
 & in *conclusionem* syllogismorum, non quidem est *medi-*

us terminus sed tamen cantharus & utraque manus præmissa: tum de convivâ Coribantâ videbis: Iurgia proludunt, sed mox & pocula torquent: Saucius hic rubra detergit vulnera mappa; ut Juvenalis verba sat. 5. nostra faciamus. Sed satis hujus argumenti!

§. 37. Lampada nunc nobis tradit *Superbia* togatorum hominum, quæ sanè tanta est quantam & militum esse suprâ diximus. Si vel soli in aliquo loco sunt, vel inter cæcos luscî regnant, tum verò & ipsa domus robustis superbix pessulis est occlusa, ita ut aditus sit provincialis (id est, difficilis, ex phrasi Ciceronis lib. 6. ad Attic. ep. 6.) nec omnibus, etiam tenuioribus, contingat adire hanc Corinthum. Elegans hac de re epigramma videre est apud Melandrum in Joco-ser. tom. 1. hist. 69. *Ingressus rabula quæ sita rusticus ades: Vidit ab unca-ta pendula dona trabe: Auritos lepores & pingues dorcadis armos. Atque recens capti, nobile sumen apri. Tum sua mox tristi vertens vestigia vultu Heu, ait, hic pauper vincere nemo potest.* Mox negotiorum gravissimorum molem, variaque concatenatorum laborum onera allegant, *aliena negotia centum per caput & circa latus salire*, ut ille apud Horatium 2. sat. 6. queruntur, ut clientum cohorti vacare non possint; usque dum, cliens rusticus balantem hædulum vel simile quid affert, quo ipso janitor, ancilla, ancillula, uxor, atque ad eò ipse rabula, explosa superbia, accurrit, ut sic miser consultor lætum istud, *veni, vidi, vici*, exclamare valeat. Gemino modo in omnibus dictis & factis, *cæcus amor sui & tollens vacuum plus nimio gloria verticem* (Hor. 1. od. 18.) ad quævis vana eos rapit. Scientiam suam tantam jactant, quasi totus Bartoli, Baldi, Cujacii, Carpzovii, Mevii animus, Pythagorea metempsychosi in se sit delatus, ita ut alii nil sint ipsis, nisi triviales literatores.

tores. Nullum tam exquisitum, tam salutare consilium ab alio dari potest, quod nō Theonis & Momi maledico dente carpant, adjiciant aliquid aut detrahant, in Veneris saltem sandalio, aliquid, imo, in scirpo nodum inventuri. In clientelam suam concessuris mira narrant! tot & tot, imò omnes à primordio postulationis causas se felici patrocinio defendisse, hunc celebrem advocatum miro stratagemate supplantasse & insolito laqueo constrinxisse, ut manus victas & herbam porrigere coactus fuerit; in hac vel illa ardua causa, clientem eripuisse, & è labyrintho, omnium cum admiratione, eduxisse: & quæ alia cavi spirant mendacia folles: (Juven. sat. 6.) Atque hæc ad satietatem, si non nauseam, ante litem ingeruntur: jam, si non tam sua opera, quam dubia judicii alea & sorte, victoria reportata; tum verò tantæ rei gloria nullo sermone satis deprædicari potest, tum ipsam etiam Themidem in suum pectus descendisse, & ut de Papa in c. 1. de const. in 6. vel de Imperatore Limn. de Jur. Publ. lib. 8. num. 7. dicitur, omnia jura se in scrinio pectoris habere credunt. De Empedocle, Philosopho, & artis medicæ peritissimo incorrupti Historicorum annales referunt, quod, cum quendam gravi morbo liberasset, pro numine haberi & adorari voluerit, tandem eo superbix descendens, ut, inter Divos referri ac *DEVS immortalis haberi Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Ætnam, Insiluerit* (juxta Horatium in poet. Alex. lib. 6. cap. 4.) Huic quidem stolto, animi elati improbo fastu fascinati rabulæ *negry quidem* concedunt, ubi à suis victoria partibus aliquando, licet *rara sit avis*, stetit. Et quis ex iis vestiarias LL. sibi suisque natas aut latas putet? quis intra conditionis suæ cancellos se continere studeat? id quod multis monet Magon. in Cynof. advoc. cap. 31. num. 51. quin potius stimulum

mulum iis addit Satyricus (Juven. sat. 7.) canens -- pur-
 pura vendit , *Causidicum* , vendunt amethystina con-
 venit illis Et strepitu & facie majoris vivere census,
 Respicit hoc primum qui litigat an tibi servi , Octo, de-
 cem comites post te an sit sella togati. Ante pedes: ideo
 conductâ Paulus agebat : Sardonyche , atque ideo plu-
 ris, quam Cossus agebat. Ut redeant veteres , Ciceroni
 nemo ducentos. Nunc dederit nummos , nisi fulserit
 annulus ingens. Sic enim plebejum iudicium est com-
 paratum , altiore rem indagine non explorat , sed exter-
 nâ rerum specie, mirificè afficitur & capitur : vestes in-
 fallibilem eruditionis hederam putat , à filis & pilis, tan-
 quam accuratâ lance, virtutes & scientias suspendens;
 stultissima cultûs varietate & vanitate omnibus insolentia
 gradibus exultantes & his quasi hamis clientum ca-
 tervam attrahentes, pluris quam alios æstimans. Alii,
 ex grege rabulari, per omnium ora ambitiosè volitan-
 tes, aut ipsi, aut ope famulorum, aliquot *Actorum* volu-
 mina ostendunt & ostentant, atque rusticos vel alios vi-
 lioris conditionis homines, apertis capitibus, & longò
 post se gradu ire, aut jubent, aut tamen permittunt (veri-
 ti scilicet , ne nimia familiaritas summæ existimationis
 radios obscuret) libros, si quos ab antiquario, in speci-
 em compararunt, sub nomine bibliothecæ *mirum*
quantum ! laudant & monstrant, quibus adeo dicas id
 quod Ausonius epig. 43. ad Philomusum Grammaticum
 ait. *Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est, Do-*
ctum & Grammaticum, te Philomuse putas? Hoc ge-
neris & chordas & pleetra & barbita conde Mercator
hodie eras citharæ duseris. Et quis omnia superbiæ ge-
 nera examussim explicare valeret? Sanè, ut alibi Juye-
 nalis (sat. 10.) ait - *Promptius expediam quod amave-*
rit Hippia mechos Quod Themison agros autumno oci-
derit

derit uno : Quod Basilus socios, quot circumscripserit
 Irus, Pupillos : Et licet aliqui, ex illa tribu, sint, qui
 patrimonio in Academiis, vel re domestica nepotinis
 sumtibus aliove modo lacerata, vili sub lacernula vel for-
 dido palliolo iudices circulentur, ut Seneca ait *epist. 40.*
 tamen eundem, quem alii, intolerabilis superbiæ elati-
 que spiritus tumorem gerunt, tantum quod eum mo-
 destiæ simulatæ diaphano tegant, & aliorum superbi-
 am calcent, sed ut Diogenes Platonis culcitram, fastu scili-
 cet majore : *Diog. Laërt. lib. 6. in Diog.* ambitiosissi-
 mē humiles, superbissimi futuri, si durum domesticæ
 paupertatis telum, *superbia oculos non defixisset*, vehe-
 mentissimis flammis erupturæ, si novercans fortuna, be-
 nignior, oleumque ex turba clientum, aliquando largi-
 us suffusum fuerit : quibus quidem hominibus, si juxta
 Momi votum, pectus fenestratum aut, juxta Socratem,
 clathratum esset, ita, ut interiora abditæ, & multis recep-
 tibus abstrusæ mentis sensa accurati-
 us inspicere, vota-
 que ex tenebricosis penetralibus in lucem protrahere li-
 ceret, animum corque fastu maximo turgere & tan-
 tum non rumpi cerneret.

§. 38. Detrudamus discursus naviculam, ab hoc vitii
 detestandi scopulo & aliò vela vertamus. Sed ecce ! ad a-
 lium rejicimur. Et quis ille est ? *Parnassus*, ni fallimur,
 rabularum, hoc est, *convitiandi libido & cacoëthes in-
 sanabile* : quem quidem montem, ejus sortis homines
 densis agminibus inhabitant, ibique, ut quondam ex
 poetarum figmento, tempore universalis diluvii, Deuca-
 lion & Pyrrha *Ovid. 1. Metam. 10.* præsidium quærunt.
 Causâ clientelæ suæ commissa, in scriptis vel discursu
 multum est eloquentiæ, sapientiæ parum ; *sermo prom-
 ptus &*, ut cum Juvenali *sat. 3.* loquamur, *Isæo torrentior* :
 etiamsi nec antagonistiæ fervor, nec (quod aliàs Impera-
 tore,

tores in l. 6. C. de postul. requirunt) litis utilitas poscat, execrandas despuunt injurias, penna eorum est, ut *Vesuvius*, nihil nisi convitiatorum flammam proximi honorem lambentes, improbo ardore, eructans, adeo ut citius in sylva lignum, in mari aquam, in litore arenam, in igne calorem, quam in eorum productis injurias imputationes desideres: vide *Berlich. p. 1. concl. 9. n. 25. &c. Reink. de regim. l. 1. cl. 5. c. 11. n. 64. Spekh. Quæst. Jur. cent. 2. cl. 4. quæst. 40. Cothm. vol. 5. Resp. 50. n. 7.* Sed si seposita hac *eloquentia canina*, ut *Quintilianus* eam vocat, causæ merita deducenda, res ex æqui & justis fontibus tractanda, juris norma factis prudenter applicanda, rationibus & legibus, sine *nugis bullatis*, & ridendis verborum globulis, sententia defendenda, contraria tela, hasta non juncea, & gladio non plumbeo, aut prudenter avertenda, aut dextrè retorquenda, tum *aqua miseris heret*, & ne quidem *gutta est consilii*, tum antè coaxantes ranæ, ranis *Seriphis*, aut illis quas *Divus Augustus*, cum primùm fari cœpisset, in avito suburbano, silere jussit, narrante *Suetonio in August. c. 44.* sunt taciturniores, & ad talia non magis apti, quam, ut est proverbium, *asinus ad tyram*, aut *tardigrada testudo ad leporem* capiendum: adeò ut juxta *Plinium 1. ep. 20.* non fauces, sed pedes causæ, stulti premant: cujus ruditatis & inscitæ advocatum cum *Scipio* cuidam *Siculo* amico suo dedisset, ille danti respondit, *quasò da hunc adversario meo advocatum, deinde mihi nullum dederis* *Brusius lib. 5. cap. 18.* Quà in necessitate constituti ad hunc vel illum *Præcticum cæci* accurrunt, & tanquam *canis ex Nilo*, aliquid festinanter arripunt, quod casui non magis quadrat, quam *cothurni Herculis infanti*, *Es kommt so recht / wie der Jud zur Wurst-Suppe:* adeò ut de ipsorum discursu dicere possis quod de *chao suo*

suo illud omniū ingeniorum compendiū Nalo 1. Met. 7.
 ait, quod scilicet sit *rudis indigestaque moles, Nec quic-*
quā nisi pondus iners congestaque, eodem Non benè jun-
ctarum discordia semina rerum; cum omnia tam bellè
 cohæreant, tanquam - *Humano capiti cervicem pictor*
equinam, fungere si velit & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ceu Horatius in *Arte Poet.*
jocatur.

§. 39. Et quid tales injustissimi justitiæ everfores, &
 sandapilarii, æquitatisque inimici jurati, de causâ legitimè
 agenda cogitarent? quin potiùs varias ad elabendum ri-
 mas quærunt, tota technarum & sophistices plaustra ad
 eludendam aut obscurandâ veritatem, ad simplices, do-
 lo malo circumveniendos, undique corradunt, consar-
 cinato fraudium & mendaciorum centone, vel dono-
 rum pulvere cæcutientem reddunt judicem, pennâ in-
 strumenta, pecunia testes, corrumpunt, clienti, ut dixi-
 mus, illud scelestum, *si fecista nega,* præcinunt: ut bre-
 viores simus, si homines flectere nequeunt, ut ille apud
 poetam, Acheronta movent, ut victoriæ palmam, &
 sic vel quotâ litis, vel pinguissimū palmarium reportent.

§. 40. Quod si verò nihil ominus justa causa trium-
 phet, & non vincant sed vincantur, ita ut nulli remedio
 suspensivo ampliùs sit locus, tum ipsi, cum Pilato, ma-
 nus suas lavant, & omnem à se culpam amoliuntur, e-
 amque vel in incitiam aut corruptionem judicis, partis-
 que adversæ gratiam aut potentiam, aliquando & causæ
 fragilitatem, ante ab ipsis celatam, devolvunt. Medicis,
qui morbos tollere sciunt, agrotos scilicet tollendo, in mo-
 re est positū, ut ægro mortuo, seu, ut scapham scapham,
 dicamus, occiso, omnem culpam vel in violentam fati
 necessitatem, vel obstinatam ægri in pharmacis assu-
 mendis contumaciam, in noxiis comedendis intempe-
 rantiam,

rantiam, vel aliud quodcunque rejiciant: dicentes, referente Erasmo Roterod. *in Colloquio, quod vocatur, funus*, se medicos esse, non Deos: quod artis erat præstitisse, cæterum adversus fatalem necessitatem nullam valere medicinam; adeò, ut de Medico quodam, seu potius Medicaastro narret Neuhusius in *Theat. Ingen. Hum.* (libro sanè Apollinis bibliothecâ dignissimo) *lib. 1. cap. 9.* quod ad ægrum, potione ex præscripto medici haustâ, pejus valentem, & jam in agone constitutum reversus, cum nullam aliam, in speratò in pejus mutatæ valetudinis invenire & proferre posset causam, tandem per omnes conclavis angulos diu volutatis oculis, sub fatali lecto clitellas conspexerit, iisque visis altum exclamârit, *quid mirum!* quod rediens in tristi vitæ & mortis confinio, ægrotum inveni, cum inaudita voracitate asinum intemperantissimus devoraverit, quod infallibili conjectura ex clitellis sub lecto absconsis colligo. Simili modo, advocatelli lite, cum expensis, perdita, longum excogitatarum causarum catalogum, mira facundia texere norunt, quò clientem, qui cum cane Æsopico missa carne umbram captaverat, placidum, & se innocentes reddant.

PERORATIO!

NEmò ergò sanæ mentis nobilissimam nostram *l. 14. C. de advoc. divers. judicior.* verissimam esse & elegantissimâ locutione advocatos militare dici, negabit, cum tantum non in omnibus rebus, officii necessitate & utilitate, pugnandi modo, privilegiorum honore, moribus denique, tam bonis quam malis, inter se togati & sagati milites sint simillimi. Quod itaque stadium emensi; gratis Divino Numini persolutis, telam nobis injunctam absolvimus.

PRU-

PRUDENS
AC
JUSTUS ARBITER
PRIVATUS

Seu

Discussio, quid juris sit, ubi res aliqua
in tertii privati, vel unius ex con-
trahentibus arbitrium re-
jecta est?



A Summo summo Principe principium!

APHORISMUS I.

DE arbitrio alterius, ex præscripto sanctarum rectæ methodi legum in præsentiarum acturi, in primordio quoad *considerationem etymologicam* monendum paucis diximus, esse in Grammaticorum, imprimis veterum, choro quosdam, qui non, ut nunc usus (*quem penes arbitrium & vis & norma loquendi*) fert, *arbitrium*, sed potius, *arbiterium* dicendum & scribendum, dictatoriè putaverint; prout non solum in optimo Pandectarum Codice Florentino in l. 7. §. 1. ff. de recept. sed & in illa inscriptione Romana: *M. Larcus L. F. Pomptina, arbiterio Larcie fortunata uxoris*; quam refert Simon Schardius in *Lex. Jur. voce, arbitrium*, legitur. Sed certantium nos Grammaticorum rixosorum vexillis immiscere nolumus; potius verò communem & vulgarem opinionem sequimur, vocem *arbitrium*, retinentes, quippe quæ præ altera obsoleta, in classicorum scriptorum latifundiis, & innumeris Juris nostri locis haud dubiè reperitur; atque in quæstione usus moderni, quo juxta proverbium, verba, sicut nummi valent, clementiore urnâ, palmam reportat; ut adeo hîc diu non sit subsistendum.

APHOR. II.

MAjus verò impendendæ operæ hostiumentum & pretium videtur, homonymiam, breviorè tamen sermonis gyro excutere, quâ ex re sæpiùs anceps magni
mo-

momenti dubium resolvi potest; ceu de Antistio Labone Gellius. 13. Noct. Att. 19. refert, eum latinarum vocum originesque percalluisse, eaque præcipuè scientia ad enodandos plerosque juris laqueos usum. Sumi verò vox *arbitrium* præcipuè solet. (1.) pro superiore potestate & authoritate aliquid publicè statuendi, vel faciendi: sicut Princeps pro *arbitrio* LL. ferre, vel aliud quid agere dicitur. vide l. 4. pr. C. de recept. arbit. Ita apud excellentissimum Historicum Livium lib. IV. hæc legere licet verba: Si L. Opiam abrogaveris, non vestri *arbitrii* erit, si quid ejus vetare volueritis, quod nunc lex vetat. Gemello modo Suetonius. 1. lib. 7. capit. ait, per somnium *arbitrium* i. e. regimen, orbis portendi. Inde ex usu Auctorum, *arbitrum*, pro dominante, atque pro lubitu quid disponente passim poni videmus: sic DEUS *arbiter orbis* dicitur Ciceroni pro *Rosc. Amer.* & Seneca in *Herc. Fur.* Plutonem inferorum Regem noctis *arbitrum* vocat, simili modo, ac Horatius 1. Od. 3. notum ventum, *arbitrum* Adriæ nominat. *Secundo* *arbitrium* ad judicialia restringitur negotia & mille in locis Juris, denotat iudicium vel sententiam iudicis publicè ad litigia examinanda constituti: Struvius *Synt. Civ. ex VIII. th. 96. in princ.* ceu inter alia loca, sole clariùs meridiano apparet, ex rubrica C. *arbitrium tutela.* *Tertiò* *arbitrium* etiam significat, sententiam non à iudice, publica authoritate electo, sed ab arbitro compromissario per partium placita constituto, datam: ceu capitur in t. t. ff. de receptis, qui *arbitrium* recepere ut sententiam dicant. Porro & *quartò* accipi consuevit vox pro præmio, quod iis qui funeris curam habebant (de quibus evolatur. l. 14. §. 2. & seqq. ff. de religios.) dari solebat, quæ tamen significatio, ni fallimur, non in juris Romani scriniis, attamen apud Ciceronem in oration.

post

post redit. in senat. invenitur, ubi, *Nondum*, inquit, *palam factum erat concidisse Remp. cum tibi arbitria funeris solvebantur.* Denique *quinto*, usurpatur *vocula*, cui nunc *altaria nostra fumant*, testibus *Lexicographis*, à scriptoribus Romanis, & *Jurisconsultis nostris*, pro voluntate & beneplacito alicujus, vel æstimatione privata, quo in significato nobis jam inservit.

APHOR. III.

UT verò tandem à Logico-Grammaticis hisce triticis ad amœna juris nostri hæredia, & rem ipsam propiùs procedamus explicandam: ante omnia, ceu helice & cynosura futura, notandum erit, conferri rem in arbitrium vel tertii privati, vel ejus ipsius, cujus interest: quoad utrumque membrum iterum necessaria subdivisio observanda est, quod in alterius arbitrium conferratur vel res *extra judicialis*, vel *judicialis*, circa quem ultimum cardinem disquisitionis nostræ primus labor versabitur

APHOR. IV.

Res judicialis, videlicet quæstio in judicio controversa, quod in alterius *tertii* arbitrium poni possit, id extra omnem dubitationis aleam constitutum, & ita notum est, *Notior ut jam sit canibus non Delia nostris*: Vide t. t. ff. & C. de receptis: qui arb. recep. ut sent. dicant. At ne quidem pacto partis, in alterius collitigantis arbitrium talem rem conferri posse, ex Sigism. Scacc. de sent. & re judic. Gloss. 4. quæst. 8. n. 5. docuimus in tractatu de officio judicis suppletorio part. 1. concl. 2. §. 2. vide l. 51. ff. d. recept. Pessimi enim exempli res est aliquem sibi ipsi jus dicere: l. un. C. ne quis in sua caus. dic. indeque regulariter, quicquid senserint lumina fori Gail. 1. O. 3. 9. & Mevius p. 5. decis. 374. & 323. rectiùs agit judex, si in causa, etiam officium suum concernente, non judicet, sed vel ad superiorem eat, vel

acta

acta transmittat, ad peregrinos Juris consultos: Panorm. c. 1. X. de maledic. hinc ipse prælaudatus Dn. Mevius p. 4. dec. 146. num. 6. ait: Cum ratione fieri, ut, cum judici à partibus sunt injecta convitia, ne per exacerbationem & affectuum incontinentiã injusta dixisse videatur, acta ad peregrinos Ictos pro concipienda sententia transmittat, illisque simul injuriarum æstimationem committat: idque in mores abiisse addit, ut adjiciatur: Es solle der Urtheilssasser zugleich wegen der Injurien/so dem Richter durch die anzügliche Schrifften zugefügt/und was dadurch verschuldet/ urtheilen.

APHOR. V.

NEC nos in hac veritatis quasi possessione turbare potest scrupulus, inde exortus, quod videri posset, ac si pars juramentum voluntarium vel judiciale deferendo, alteram partem judicem in causa controversa per pactum constituat, unde & expressis verbis tali casu pacto vel transactione ipsorum litigatorum res decidi & adversarius judex constitui dicitur in *l. 1. pr. ff. quar. rer. act. non det. l. 1. l. 2. l. 31. in fin. l. 21. ff. de dolo*, & deferens in expensas non condemnatur: cum alter judex in sua causa fuerit: Umm. *diff. 22. th. 7. num. 25.* imprimis Carpz. p. 1. *Const. 31. def. 31. num. 3. 4.* Verum nec pactum propriè dictum est, quod alia probatione exclusus ex necessitate suscipit, non ex libera voluntate: nec res dubia vel litigiosa simpliciter in arbitrium partis adversæ, verum in ejus conscientiam, id est, ad tribunal Dei rejicitur: qui judex hominis domesticus arbitrii injusti nescius, severissimi & Rhadamanthei judicis vicem supplet. Et quadrat huc quod ex Theologorum vertice, Perkinsio, refert Vir Magn. Excell. Dn. Wilh. van der Meulen: S. S. Theol. Dr. Ejusdem Professor Hanovicus ord. ac. p. t. Rector, Affinis noster. pl. honorandus:

in Disp. An, conscientia possit errare : pag. mihi. 20.
quod scilicet conscientia arbitri instar inter Deum & ho-
minem sententiam ferat.

APHOR. VI.

Fortius verò telum desumi potest inde, quod de fi-
lio immorigero, post similia juris divini, Deut. XXI.
vers. 19. traditi, placita, legere est in l. 3. C. de patr. potest.
cujus hic est tenor : *Filium tuum, si pietatem patri de-
bitam non agnoscit, castigare jure patrie potestatis non
prohiberis : ac riore remedio usus si in pari contuma-
cia perseverarit, eumque praesidi provinciae oblaturus
dicturo sententiam NB. quam tu quoque dici volueris.*
Sed nec hoc fulmen extimescimus, aut hasta spei abjecta
concordia, dicimus, *haec loca si potes aquam maritare igni
& vitibus brassicas reclamante Lyco.* Arbitrium enim
illud, patris filium accusantis *vagū & illimitatum* fuisse,
nulli credimus, sed potius ita comparatum, ut majus
arbitrium esset apud aditum Judicem & leges : arg. l. 4.
C. eod. l. ff. ad leg. corn. de sicar. Cujac. 4. Obse. 12. & 6.
Obse. 17. Eò magis quod etiam judicis arbitrium tale ef-
se debeat, quod cum LL. vel æquitate amicè conspiret.
Et haud dubiè potiores illius arbitrii patrii partes erant in
eligenda pœna una, ex variis delicto proportionatis.
Ceu elegantissima exempla dat Seneca *de clem. lib. 1.
cep. 14. & 15.* quæ integra huc translata volumus. Credi-
mus etiam l. 22. §. 4. ff. ad l. Jul. de adult. *adjuti*, jus
paterno amoris confisum arbitrio tali aliquid indulgisse,
securum de nullo abusu, perinde ut ex simili considera-
tione olim jus vitæ & necis patribus jura tribuerant, po-
sterioribus tamen constitutionibus mitigata. l. 11. in
fin. ff. de liber. & posth. d. l. 22. §. 4. ff. Ad. l. Jul.
de adult.

APHOR.

APHOR. VII.

HÆc de rebus *judicialibus*, in arbitrium vel unius partis, jurisdictioni contentiosæ litantis, à parte adversa conferendis, dicta hac vice sint, nunc lampada tradendum *extrajudicialibus*. Sunt autem ejus farinae negotia iterum duplicicis qualitatis, videlicet vel *ultima voluntates*, vel *contractus* & similis monetæ obligationes, inter vivos cognominatæ. Prærogativa verò ex venerabili observatæ à Justiniano sacratissimo, methodi in Institutis, lege de *illis* actibus est adjudicanda. Et licet subdivisiones Senecæ non arrideant, quippe qui epist. 89. *Faciam, ait, quod exigis & Philosophiam in partes non in frustra dividam: dividi enim illam non concidi utile est: nam comprehendere quemadmodum maxima ita minima difficile est: describitur in tribus populus, in centurias exercitus: quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur, si discessit in partes, quas innumerabiles esse & parvas non oportet: idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio: simile confuso est quicquid usque in pulverem sectum est: tamen hinc necessitate aurigante, nova subdivisio apponenda & actus ultimarum voluntatum in duo genera herciscundi, prius cum *res universa* relinquuntur; posterius cum *res singula*: illud sit per hereditatis dationem, hoc per legatum vel fidei commissum. De priori specie ante posteriorem, Justiniani vestigia in §. *ult. Inst. per quas pers. nob. acq.* hinc prementes, videbimus.*

APHOR. VIII.

QUod ergò attinet hereditatis dationem & heredis denominationem in alterius, & quidem *tertium* arbitrium ponendam, discernendum ante omnia jus civile Romanum à placitis Juris Canonici. Hujus si oracula consulas, illa haud dubiè annuent, testa-

testatoris ultimum elogium hoc tenore posse concipi:
 Heredes illi mihi, erunt, quos Titius voluerit: *arg. c.
 cum tibi X. de testam.*, ubi ita Pontifex Innocentius dis-
 ferit: *Qui extremam voluntatem in dispositionem al-
 terius committit, non videtur decedere intestatus;*
 Videatur Peckius *de Testam. conj. lib. 1. c. 14. 27. & sqq.*
 Et sicut ex proverbii fide, dato uno absurdo, plura fac-
 cundo partu sequuntur, ita eò impudentiæ deventum
 tandem est, ut in Gallicis regno olim inventi fuerint
 perfrictæ frontis sacrificuli, qui, si quis morte inopinata
 præventus sine testamento, ad cœlestia migrasset, præ-
 tenso Pontificis sui, supereminens scilicet dominium ha-
 bentis, jussu, non expectata testatoris voluntate aut
 collatione in arbitrium, ei testamentum facere, heredes-
 que vel legatarios pro beneplacito nominare solebant,
 qua in re, ceu in leonina illa societate, ad quam *l. 29.
 §. ult. ff. pro socio*, alludit: vide *Erasm. Adag. pag. 1816.*
 ut plurimum, si non omnem prædam, attamen opti-
 mam partem ipsi accipiebant: *Bodin. s. de Rep. sect. 530.*
 per quos & similis farinae seu potius furfuris modos, at-
 que (ut cum Tacito 4. *Histor. loquar*) *novos sinus &
 varia prædandi vocabula*, verbi causa, ut sepultura ca-
 reret, qui ecclesiæ nil legasset, res tandem in eum statum
 devoluta est, ut tota ferè Gallia, Ecclesiæ fuerit tributa-
 ria, clericis duas tertias de regno possidentibus: indeque
 vigilantibus Curia Parisiensis consiliis valida minaci-
 huic malo repagula sunt objecta, ceu *Idem ibidem* plu-
 ribus refert, perinde ut apud Gallicum Livium, Thua-
 num, *Contin. ad. A. C. 1608. lib. 1. pag. 4. col. 2.* legere
 est, conquestos fuisse miseræ Bohemiæ status Augusta-
 næ Confessioni nomen dantes, apud Sacratiss. Imp. Ru-
 dolohum II. atque summopere efflagitasse pragmati-
 cam sanctionem, ne ecclesiasticæ cohorti picatas manus

E

absque

absque contentu Ordinum in res soli liceret impingere :
ad exemplum scilicet decreti Anglici, Eduardi I. auspiciis
laudatissimis promulgati, & abs Henrico V. confirmati
ne cuiquam mortalium liceret prædia dare collegiis mo-
nachorum, & in horum *manus mortuas*, ut loqui ama-
mus, aliquid immobile conferre, ex fide Polyd. Verg.
lib. 17. Histor. Anglic.

APHOR. IX.

Sed prout alibi, sic & in hoc casu in contraria omnia
Sabit Jus nostrum civile ; cujus immota est regula,
quod heredis institutio in tertii arbitrium collocari non
possit ; ita enim Cajus in l. 32. pr. ff. de hered. instit. *illa
institutio quos Titius voluerit, ideò vitiosa est, quod
alieno arbitrio permessa est : nam satis constanter vete-
res decreverunt, testamentorum jura per se firma esse
oportere, non ex alieno arbitrio pendere.* Consentit ar-
gumentum suppeditando, Ulpianus in l. ii. §. 7. ff. de le-
gat. 3. verbis : *Quanquam fidei commissum ita relictum
non debeat si volueris (sc. tu heres : Gothofr.) &c.
cujus L. verba non de heredis institutione sed de lega-
to loquentia : (tamen si ita scriptum fuerit si fueris
arbitratus debebitur)* infra explicabimus aph. 19. &c.
Ita & Pomponius in l. 68. ff. de hered. instit. ait : *atquin
si quis, ita scripserit, si Titius voluerit Sempronius heres
esto, non valet institutio.* D. Struvius *ex XXXIII. th. 8.*
Hotom. 1. *Amic. resp. 4.* Sarmient. 6. *select. interpr. 6.*
Et suffragatur præterea illa ratio, quod in l. 1. ff. *qui te-
stam. fac. poss.* testamentum definiatur voluntatis NO-
STRÆ *justa sententia* : ut adeò omne alienum arbitri-
um quasi ostracismo exulet. Ex quibus pronò quasi al-
veo fluit, & à Nostris deduci solet, quod utut alia cum
authoritate tutoris munitus agere possit pupillus, tamen
sub ejus ductu testamentum nequeat conficere, cum
aliàs

aliàs magis tutor pro arbitrio testaretur quam pupillus
l. 1. §. 1. ff. de tutel. & ration. distrab. Struvius *d. ex. th.*
 6. Quantitas tamen hereditatis cæteris paribus, in tertii
 arbitramentum videtur posse conferri: *arg. l. 2. pr. ff.*
de hered. inst. versu. Aliter atque probat.

APHOR. X.

EXaminanda hîc & ad lydium veritatis amicæ revo-
 canda esset quæstio; ane ergò, cum expressè non
 possit, tamen tacitè liceat hereditatis dationem & here-
 dis designationem, in alterius beneplacitum conferre,
 verbi gratiâ, si Titius Capitolium ascenderit, Sejus he-
 res esto, quod aliàs ex *l. 52. de cond. & dem.* solet tenta-
 ri. Sed præterquam quod hîc non sit unius heredis ex
 multis electio, ut in casu, *quem Titius voluerit, is heres*
esto, ex professo infra, aph. XVI. de hac re agimus, inde-
 que hîc extra oleas ulteriùs vagari non possumus; inte-
 rim videatur *l. 68. ff. de hered. inst. & ibi Dd.*

APHOR. XI.

IN orbitam ergo è diverticulo redeuntes, statuimus
 hereditatis acceptionem licet dicto modo jure civili
 non in tertii, attamen in heredis arbitrium conferri pos-
 se: v. g. *Titius, si voluerit heres esto*: de quo nemo sa-
 næ mentis dubitare poterit, sed is, qui obtruncatæ ratio-
 nis raptu, audaci stultitia, uno actu & ictu jura vulgaris
 substitutionis pleraque evertere voluerit: Videatur inter
 sexcenta loca. *l. 1. §. 1. ff. de vulg. & pup. subst. l. 3. C. de*
hered. inst. l. 85. l. 86. ff. eod. quæ nobis septemplexis Turni
 clypei instar erunt. Quin imò, tam favorabilis & ne-
 cessaria est illa clausula, ut licet testator eam non ex-
 presserit, sed simpliciter dixerit, scripseritve, *Titius mihi*
heres esto: tamen ea subintelligenda sit, & Titio absolu-
 ta necessitas, & quasi Stoicum fatum, non incumbat he-
 reditatem adeundi, sed liberrimum sit arbitrium repu-
 diandi:

diandi: tot. tit. de acq. vil omitt. hered. quod & eleganter demonstratur in l. 69. ff. de hered. instit. ubi ita Proculus differit: Cornelius & Mevius, uter eorum volet heres esto: uterque vult: Trebatius neutrum fore heredem: Cartilius utrumque: tu cui adsentiaris: Proculus: Cartilio adsentior, & illam adjectionem, uter eorum volet, supervacua puto, id enim etiam ea non adjecta, futurum fuit, ut uter vellet, heres esset, uter nollet, heres non esset. Quod si vero heres institutus sit necessarius, seu servus à domino heres scriptus, tunc is siue nolit siue velit hereditatem adire cogitur, adeoque eo casu clausula, si voluerit, utilis est, & necessitate adeundi eum liberat: quod non modo in d. l. 69. versu Quod sibi, sed & in l. 12. ff. de cond. instit. radiis quasi solaribus scriptum est: ubi ita Hermogenianus Verba hæc Publius Mevius, si volet, heres esto: in necessario conditionem faciunt, ut si nolit heres non existat, nam in voluntaria heredis persona, frustra adduntur, cum & si non fuerint addita, invitus non efficitur heres.

APHOR. XII.

QUæri in hoc discursus climate posset, si Sejus ita dispositionem ultimam ordinaverit: Titius ex qua parte heredem me scribet ex ea mihi heres erit? & sic non ipsam hereditatis aditionem, sed quantitatem relicti in alterius voluntatem posuerit, ane aliquid roboris habeat? Negandum id, nisi invitâ Themide agere velis, quippe institutio tali casu haud dubiè in captatoriam degenerat, & inde in Sciti placita impingit l. 70. ff. de hered. instit. Struv. ex XXXIII. th. 8. Cujac. XVI. Obs. II. licet sit miles aut conjux testator: Brunè d. l. 70. cujus farinae etiam hujus tenoris institutio est: ex qua parte me Titius heredem scriptum recitaverit in tabulis suis, ex ea parte mihi heres esto: l. 1. ff. de his quæ pro non scrip. hab.

hab. ut & illa per quam in aliam personam captio diti-
 gitur veluti: *Titius, si Mevium tabulis testamenti sui*
heredem à se scriptum ostenderit probaveritque, heres
mibi esto l. 71. §. 1. ff. de hered. instit. vel, *si Titius me*
heredem instituerit, Cajus mihi heres esto: Cujac. d. l.
 Alius verò fortis est institutio ita concepta: *quanta ex*
parte me à Titio heredem institutum recitasssem, ex ea
parte, Sempronius mihi heres esto: tum enim non est
 captatoria institutio, sed potiùs demonstrativa: nullo
 tamen testamento à testatore recitato, inanis est. l. 81.
 §. 1. ff. d. t. Dubium verò non est, quod valeat institutio
 non in futurum, sed in præteritum hoc modo formata:
Titius ex qua parte me heredem scripsit ex ea mihi heres
esto: d. l. 70. l. 71. eod. Wissenb. ad d. t. th. 16. ita ut ne-
 gry quidem intersit, quo gradu, vel qua parte, Titius Se-
 jum testatorem, heredem scripserit: l. 20. §. 2. ff. de
 cond. inst. perinde ut in casu talis formulæ: *ex qua parte*
me Pomponius heredem scripsit, ex ea Sejus heres esto:
 subsistit institutio, & ideò si non est à Pomponio scriptus
 heres testator, nec Sejus ab eo scriptus videtur l. 2. vers.
Aliter ff. de her. instit.

APHOR. XIII.

NOVUS dum hæc meditatur scrupulus nobis injici-
 tur: nempe, si testator non in tertii, nec in heredis
 sed suum arbitrium heredis institutionem conferat; ita
 disponendo, *Sejus mihi si volvero vel arbitratus fuero,*
heres erit: nec tamen postea in eo testamento vel co-
 dicillis (quod liceret i. 36. l. 77. ff. de hered. instit.)
 mentem explicuerit, anne hæc rerum facie Sejus heres
 esse possit? Videbatur prima fronte dicendum quod
 non, cum conditionis speciem verba illa habeant, inde-
 que defectu suo dispositionis defectum operentur, uti in
 simili casu ex l. 34. ff. de legat. 2. monet Cujac. ad d. l. 2.

(de quo tamen videbimus Aph. XIV.) Et omnino apud Ictos dubiam fuisse hanc quæstionem, è vestigiis *l. 2. ff. d. t.* apparet. Sed aliud dicendum quis putare posset argumento ex *d. l. 2.* deducto: ubi hæc Ulpianus: Circa eos, qui ita heredes instituti sint, ex partibus quas adscripsero: non putat Marcellus eos heredes nullis partibus adscriptis, quemadmodum si ita essent instituti heredes; si eis partes adscripsero; sed magis est, ut sic utraque institutio accipiatur, si voluntas defuncti non refragatur, ex quibus partibus adscripsero: si minus ex æquis, quasi duplici facta institutione, scilicet (Oedipo Cujacio *ad d. l. 2.*) *pura & conditionali*, ac si omnino ita dixisset; ex partibus quas adscripsero heredes sunt, vel si non adscripsero, ex æquis. Atque hæc opinio apertius confirmatur in *l. 36. ff. de her. inst.* ubi idem Ulpianus, si quis, inquit, ita scripserit heredem, ex qua parte codicillis Titium heredem scripsero hæres esto etiamsi pars in codicillis non fuerit adscripta, erit tamen heres, quasi sine parte institutus. Nisi dicere velis induabus hisce legibus non de persona, sed de parte hereditaria (vel finibus vici relictis, aut forma certaminis, omissa ut in *l. 77. §. ult. ff. de legat. 2.*) arbitrium esse omissum, indeque ex illis argumentum deduci, seu obtorto quasi collo trahi eas non posse ad casum ubi adhuc de ipsa persona dubitavit testator, eamque postea planè omisit; & sic tacitè ac conditioni non satisfaciendo rejicit; quam rem mirè confirmat *l. 18. ff. de usu & usufr. leg.* ubi Modestinus: qui plures (ait) habebat libertos testamento suo dixit, se habitationem relinquere iis, quos codicillis designasset; cum nullos postea designaverit quæro an omnes admitti debeant? Respondit, si patronus, qui se designaturum NB. *Personas*, libertorum pollicitus est, nul-
um postea designavit, legatum habitationis perfectum

non

non videtur : NB. non existente cui datum intelligi possit. Ex qua diversitate ut Cujacius *ad l. 2. ff. de hered. instit. dictam l. 18. cum d. l. 2.* sic Gothofr. eandem *l. 18. cum d. l. 77. §. ult. ff. de legat. 2.* plausibiliter conciliat

APHOR. XIV.

DUbi tamen sabbathinum contra hanc conciliationem moveri speciosè posset ex *l. 34. ff. d. legat. 2.* ubi testatrix ita dixerat, non de persona sed de parte vel re loquens: A te autem Mevia filia charissima peto, ut Stichum servum tuum manumittas, cum in ministerio tuo tot capita servorum tibi his codicillis legavero; quia tamen non legaverat inde Modestinus ait, ex his verbis Meviam neque legati neque fidei commissi petitionem habituram, neque libertatem servo suo dare compelli. Sed verba illa: *cum tibi tot capita legavero*, apertius conditionalia esse, quam ut dissimulari possit, nec duplicem illum scripturæ sensum commode ad illam formulam, prout *ad l. 2. ff. de her. instit.* applicari posse, vult Theoreticorum aquila Cujacius *ad d. l. 2.* & ex hac pharetra desumptum instantiæ telum ita retundit. Verum credat hoc Judæus Apella non ego, qui non *pro viro* sed *pro vero* pugnandum puto. Si verba legis magis quam viatorie consideremus & non Andabatarum more cum fictionum larvis luctemur, potius in incitamentum quam in conditionem illa sonant. Itaque, ni fallor, commodior & meliori tibicine fulta est responsio, onus datum esse ob emolumentum consideratum: cum itaque emolumentum non sit datum nec onus videtur impositum. *Instas*: sed quæ ratio diversitatis? Cur in re tam favorabili, libertate scilicet servo fidei commissarie data (cujus intuitu legislatores multa etiam contra communes regulas statuerunt §. *ult. Inst. de Donat.* ubi Locam.) non perinde res explicatur,

rum esse relicta ut juxta *l. 2. ff. de hered. inst.* sit, in casu ubi testator partis oblitus fuerit? Diem hinc nobis diffin-
di petimus! Forte ad hunc rhombum quadrat illud: *Sic legibus placuit*. Salvo tamen rectius sentientium iudicio responderemus, in eo diversitatis causam latere, quod in casu *l. 2. ff. de her. instit.* videlicet si testator dixerit, Mevius mihi heres erit, ex parte quam adscripsero; licet pars sit omissa, tamen ea ob duplicem illum scripturæ sensum supra aph. XIII. à Cujacio explicatum, sit certa: nam aut nullus est coheres, & Mevius totam hereditatem habebit; aut alii adjecti sunt heredes cum partibus & Mevius eam partem habebit, quam habet alias is qui sine parte scriptus est, uti expressè dicitur in *l. 36. ff. de her. instit.* aut omnes sine parte scripti sunt & partes erunt æquales, Cujac. d. l. Secus est in casu, si testator dixerit, cum tibi tot capita servorum legavero, tum enim pars non est certa, quot nempe capita relicta voluerit testator; ut ergò meritò, toto cœlo hi casus differant. Si quid novisti rectius istis Candidus imperti, si non, his utere mecum.

APHOR. XIV.

SED nondum in portu sumus! quin potius minacior
Stempestas exurgit; Adversi rupto, ceu quondam turbine venti: Confligunt Zephyrusque Notusque & lætus Eois: Eurusequis, stridunt sylvæ, sævitque tridenti Spumeus atque imo Nereus ciet æquora fundo. Virg. 2. *Aneid.* Novus inquam duræ legis nodus ferè, si non verè Gordius est in *l. clemens. 81. §. ult. ff. de her. inst.* ubi hunc in modum Paulus: Si ita scripserit testator: quanta ex parte me à Titio heredem institutum recitasset, ex ea parte mihi Sempronius heres esto; non est captatoria institutio; plane nullo testamento recitato ab ipso testatore inanis videbitur institutio. Et

Et putat *Cujacius* ad d. l. 81. desperatæ concordiaë opus esse, nisi dicas in hoc exemplo legis 81. duplicem illam institutionem (de qua aph. XIII.) induci non posse, quod ad alienum factum, Titii puta, hæc scriptura referatur, atque adeò mera conditio appositæ sit, cum in exemplo l. 2. ff. de her. instit. verba ad se ipsum testator retulerit. Sed clarior responsio fuit ex fonte in calce præcedentis aphorismi à nobis recluso! quippe in hac l. 81. si testator nullum testamentum fecerit, & ex qua parte fuerit à Titio heres scriptus expresserit, pars ita est incerta, ut certa fieri non possit: secus est in d. l. 2. & aliis similibus, ceu ex allegato aphorismi proximi loco videre est.

APHOR. XV.

Excussa est hæctenus vis arbitrii in danda accipiendæve hereditate, & intuitu ipsius heredis & ipsius testatoris; ostendit ergo filum aph. VII. apprehensum, quod in simili, legato fideicommissive altaria hæc fumare debeant. Atque hinc iterum tria casuum occurrit discernenda. Primo quando legato in tertii arbitrium confertur: & tum id etiam jure civili valet ut inter alios textus apparet ex l. 46. §. 2. ff. de fideicom. libert. l. 1. ff. de legat. eadem l. 43. §. 2. ff. de legat. 1. Reclamat quidem ob l. 52. ff. de cond. & demost. Moller in Semest. lib. V. cap. seu differentia XI. Sed sicut ex judicio, *Wissenbachii* ad l. 12. ff. de reg. jur. th. 2. Mollerus in d. l. 5. multas habet contractuum & ultimarum voluntatum differentias non in jure, sed ejus cerebro fundatas, sic etiam id quoad dictam differentiam undecimam verum est. Id quidem negare non audent *Legem illam 52.* esse numeris Platonice ferè obscuriorem; unde & multi inter illos textus insanabilem pugnant statuunt ceu videre est apud *Wissenb. p. 2. disp. 2. th. 1. & ad l. 195. ff. de reg.*

jur. th. 1. & 2. sed tamēn nescimus an omnis spes decollet? Ex mente Cujacii 2. O. 2. toto coelo differt, an totam rem testator in tertii arbitrium posuerit, ut is arbiter sui & quasi dator legati, de quo casu agitur in d. l. 25. & tunc id non valet: an verba, si voluerit, pro conditione accipiat, in hunc sensum, si forte acciderit aliquando, ut id velit Titius; & tum id valet: *dd. tX.* Et licet Sarmientus *lib. 8. in expl. l. 1. pr. ff. de leg. 2.* levem ac ingenio Cujacii non dignam hanc conciliationem iudicet: in aliam tamen sententiam discedit, eamque approbat cum multis à Wissenbachio citatis *Arumaus ad ff. disput. 18. quæst. II. Pacius cent. 6. quæst. 8.* addens illam diversitatem ex mente & voluntate testatoris colligendam, ceu geminum jubetur fieri inter pænam & conditionem: *l. 2. ff. de his q. pæn. caus.* Quia tamen alicui hæc concordia tentatio obscurior aut intuitior videri potest; præsertim cum d. l. 43. §. 2. ff. de legat. 1. differentiam faciat inter heredem & extraneū (confer aph. 22. ubi plura de d. §. 2.) quod fieri non videtur posse si de casu ubi legatum in tertii voluntatem ut conditionem seu arbitrium positum loqueretur cum tali modo & in heredis personam aliquid conferre posse videtur arg. *l. 46. §. 2. 3. ff. de fideic. libert.* forsan clarius si non rectius cum Dn. Schnobel, *ad ff. disp. XVII. th. 18* ubi Bejer. & Strauch, *diss. X. aph. 12*: asseretur, quod legatum possit in alterius voluntatem non simpliciter conferri *d. l. 52.* sed ita, ut aliquod arbitrium circa id admittatur v. g. circa tempus, modumque ejus, *dd. tt.* ceu similis casus est in *l. 41. §. pen. ff. de leg. 3.* (ubi ipsius etiam heredis arbitrio quid committitur) *l. 6. pr. ff. de cond. & dem.* Sic optio potest legari seu vel relinqui tertio *l. ult. §. 1. C. comm. de legat.*

EX his manifestum est, expressè in alterius voluntatem legatum simpliciter conferri non posse, sed anticipis & agitatissimæ quæstionis controversia est, an *tacite* id fieri possit? v. g. Si Titius in Capitolium ascenderit, heres Sejo decem dato: Et de facili ac plano pro affirmativa ex *l. 68. ff. de her. inst. l. 52. ff. de cond. & dem. l. 195. ff. de reg. jur.* responderi posset, nisi huic tranquillati tanquam fulmen injiceretur & tanquam violentus Tribunus intercederet Ulpianus in *l. 1. pr. ff. delegat. 2. l. 46. §. 2. ff. de fideic. lib.* ut adeò aqua hæere videatur. Si Peripatetico sermoni Lucianicum licet miscere sanè multi indoctas & incoctas responsiones afferunt & subtiles res fingunt, quæ in nullius oculos incurunt, etiam Aquilæ vel serpentis Epidaurii, nisi forte in Luna sedens Menippus eas assequatur. Unde alii satius judicant, aperto ore confiteri, textus ne Apollinem quidem posse conciliare, & sic antinoniam, quam talem concordiam admittere, quos quasi ad tympani strepitum in aciem cogit. Wissenb. *dd. ll.* Et hîc imprimis vapulat Cujacius *d. O. 2.* & alii sub ejus auspiciis militantes qui putant juxta *d. l. 1. pr.* nil interesse, sive testator dicat, si Titius in Capitolium ascenderit, sive, si Titius voluerit: modo hæc verba juxta aph. præc. conditionatè (vel *juxta finem aph. ejus*, de tempore modo ve legati) explicentur: cæteroquin si pro mera voluntate, multum intercesse *d. l. 68. l. 52.* Sed sanè meliora meritis est Cujacius, ut dubitandum sit, an ipse plus debeat juri, an ei jus nostrum. Et rectior certe est illius sententia quam aut Haloandri qui in *d. l. 1.* loco vocis *quid*, legit, *quia*; aut Donelli *8. comm. 15.* & ejus vestigea legentis Gerhardi ex *10. Q. 3.* (aliàs ex *5. quæst. 13.*) qui, per vocem *quid*, intelligit, *quantum*; quasi diceret Ulpianus multum interesse:

teresse:

ter esse: quibus omnibus, ut alia, sic & d. l. 46. §. obloquitur: quam qui in specie de libertate, re favorabili, explicant, ut Duarenus *ad tit. de cond. instit. c. 4. in fin.* & Pacius d. l. næ illis reclamant & d. l. i. & generalitas ipsius textus! Aliter Arumæus *ad ff. disp. 18. quest. 11.* qui putat Ictum non de vi & efficacia loqui, sed solum velle significare utroque modo legatum in arbitrium poni, Sed malè.

APHOR. XVII.

Diximus in fin. aph. XV. & in medio aph. XVI. posse certo modo in tertii arbitrium legatum conferri; unde ex facto quæsitum nemini, quid juris sit si ille non fuerit arbitratus an ne, legatum recidat in nihilum? an ne boni viri arbitrium locum habeat: Pro ultimi membri veritate, multa textuum fulcra convexit Struvius *ex 35. th. 98.* Et Mollerus *d. lib. 5. sem. cap. 13.* in hoc etiam differre contractum ab ultima voluntate asserit, quod dicto casu, bonus vir tertium illum, arbitrium interponere iustum, suppleat: id quod in contractu fieri non posset; quæ & ipsa approbat Pacius *cent. 5. quest. 3.* Vide seq. aph. XXVII. Trucis tamen contra id genus assertum vultus prima fronte esse videtur *l. 6. ff. de cond. & dem.* ubi Pomponius, Mulctam, ait, testamento non committitur ab herede vel legatario vel eo qui ex ultima voluntate aliquid lucratur, qui alicujus arbitrato monumentum facere iustus sit si is, cujus arbitrium est non vivat, vel rei adesse non possit aut rei arbitrari nolit. Sed hoc telum nimis obtusum esse inde videre est, quod nos non dicamus, tali casu legatarium incidere in mulctam antequam tertius arbitretur, licet tempus intra quod monumentum facere iustus erat præterierit: *quod solum d. l. adstruit.* Sed excusatus eousque est usque dum ille tertius, aut illo deficiente bonus vir, arbitratus fuerit, à quo

à quo tempore demum poena imminet, & tempus præfixum currit. Et cum ipsa illa lex objecta, solummodo dicat, *multam non committi*, non verò, *legatum in auras evanescere*, potiùs nobis favere, quam bellum indicere videtur, quasi per rimam ostendens, poenam solummodo differri & insuspensò esse. Hactenus de causa quatenus in tertii arbitrium legatum rei suæ testator possit conferre differuimus; quod si verò ille rem alienam vel in quo tertius aliquod jus aut habet aut habiturus est sciens leget, non dubitandum est in plenum tertii arbitrium tale legatum conjici posse: v. g. Sejo equum Caji lego, si dominus voluerit eum vendere: §. 4. *Inst. de legat. l. 10. C. eod. l. 39. §. 7. ff. de legat. 1.* Sic Jure Saxonico foemina potest geradam quæ alias eâ defuncta ad proximam cognatam spectaret, alteri relinquere ultimâ voluntate sub conditione, si cognata in id consenserit: *Struve ex 40. th. 6. §. potest etiam.* Elegans responsum de simili casu videlicet apud Taborem *Relat. Argent. 166. (rectiùs 167.) incipit. Frau K. hat/ etc. num. 4.* ubi testatrix dixerat: Die bey seel. Hans von B. Erben an noch außstehende 4000 Rthl. Capital habe ich dem ältesten Sohn Hn. Conrad von B. (welcher bißhero grosse Müh / Fleiß und Dhntkosten angewendet / die Mecklenburgische Gelder bey dem Land. Kasten in Richtigkeit zu bringen) seinem Hn. Brudern Josua von B. aber die rückständige Zinsen / vermög darüber außgehändigter Quittung und original Obligation geschencket. Und weil meine freundliche Schwester und Schwester Sohn (quæ persona inter legatarios erant) welche an diesem Posten neben mit Antheil haben / dieselbe hievor dazu außgesetzt / daß damit die Mecklenburgische Land. Kasten. Gelder in Richtigkeit gebracht werden sollen / so zweifle ich nicht / sie werden diese ihnen mit zu gut beschehene Donation

nation genehm halten imwiedrigen Fall / und da sie damit nicht einig seyn solten; soll von denen / welche ich zu meinen Erben eingesetzt / ihnen dßfals Erstattung geschehen. Quod si vero rem heredis legatarii-ve alteri leget testator, illa omnino est abs herede legatariove danda: §. 4. *Inst. de legat.* licet plus sit in pretio servi quam v: g. in legato: vide Struvium *ex 40. th. 48.* Cujac. *in l. 33. ff. de minor* secus si legatarius rogatus esset servum alienum alteri pro legato accepto dare Struv. & Cujac. *d. l. nisi testator* id in ejus arbitrium posuerit: Tabor. *d. l. quod arbitrium tamen ad normam præc. aph. XXI.* erit examinandum.

APHOR. XVIII.

Statistecimus pro crepida nostra, primo casui Aph. XV. posito: *secundus* nos nunc vocat, quando videlicet legatum in *ipsius legatarii* arbitrium est conjectum: Et nemo, nisi qui jura nostra ne quidem à limine salutavit, id licere negabit: cum textus sint clarissimi in *l. 46. §. 1. ff. de fideic. libert. l. 65. §. 1. ff. de legat. 1. l. 69. ff. de cond. & dem.* quibus textibus, ut & *l. 80. ff. de leg. 2.* simul innuitur tale legatum esse conditionale, & non aliter ad hæredem legatarii transire legatum, nisi legatarius ipse voluerit. Sic & non solùm *an*, sed & *qualem* rem legatam ex pluribus quis velit, in ejus arbitrium poni potest, quod legatum optionis dicitur *t. t. de optione vel electione legata*, quale tamen legatum (cum non *an*, sed *quale* velit, sit quæstio) non est, ut ante Justinianum erat, amplius conditionale, adeoque facultas optanti (etiam optimum non obstante *l. ult. §. 1. vers. ita tamen C. commun. de legat.* quæ de casu speciali, optionis tertio relicte agit) ad heredem transit. §. 23. *Inst. de legat. d. l. ult. in princ.* Falaricas contra hoc assertum torqueri solitas satis avertit Wissenbach. *p. 2. disp. 4. th. 17. & seqq.*

& seqq. unde quod ille ad palatum condit , ego , ut
 Plautinus coquus facit , aliter condire nolo : præsertim
 cum & alias de optionis jure quæstiones utilissimas ner-
 vose tractet ; unde spicilegio nostro nihil est opus. Sed
 quid de cautione usufructuaria legatarii arbitrio com-
 missa censendum ? Et quidem si usufructus inter vivos
 constituatur eam ita conferri posse constat , cum & pla-
 ne remitti possit : *Gail. 2. O. 145. num. 12. Moller. 5. sem. 39.*
 secus vero est ex communi sententia in testa-
 mento : sive cautio sit legatarium boni viri arbitrio usu-
 rum ; sive rem finito usufructu restitutum *Gail. d. O. 145. Moller. d. l. Hahn ad Wes. usufr. quemadm. cav. num. 2. verb. cogendæ ;* quamvis quoad cautionem de restituendo in vero usufructu, à communi via abeat *Struvius ex 12. th. 70.* pro qua tamen præjudicium adducit *Hahn d. l. cui jungi potest celebris Carpzovius parte 3. Const. 13. def. 12. Vinnius select. quæst. lib. 1. cap. 29. Schnob. disp. ad ff. VI. th. 17.* Quod quamvis *Pinellus de bon. matern. p. 2. num. 75.* durum putet, tamen id haud admittendum, ex LL. & rationibus dicti *Dd.* concludunt. An vero heredi testator mandare possit ut hunc vel illum v. g. fidejussorem pauperem accipiat loco cautionis idoneæ disputat. idem *Pinellus d. l. num. 76.* cum *Baldo*, eumque id *mirabiliter asserere* autumat, aperte vero rejicit eum *Gail. d. O. 145. num. 13.* Id porrò ob similitudinem materiæ appendicis loco hîc non possum quin moneam, si tutor quis v. g. in testamento sit constitutus, in ejus arbitrium posse à testatore inventarii confectionem poni *arg. l. fin. §. 1. C. arbit. tut. Montan. de Tutel. cap. 32. reg. V. num. 98.* (ubi dissentientes habet) sive illud fiat expresse sive tacite, sive tutor sit legitimus sive dativus aut testamentarius : sive statutū imperet inventarii confectionem sive non ; *Gothofr. ad d.*

§. 1. Potest tamen iudex ex causis prægnantibus nihilominus illam confectionem imperare, ut communis est sententia; Montan. *de l. num. 160. 107. 108. 109. 110* & si simpliciter remissa sit necessitas nihilominus regulariter debet tutor arbitrio boni viri agere & privatim, adhibito uno vel altero viro bono, res consignare: Hahn ad Wes. *de admin. tut. num. 4.* idque eo magis, quia remisso inventario non statim remissa censenda necessitas rationum reddendarum: latè & eleganter Moller. *1. sem. 39.* Segura *ad l. si ex legati ff. de verb. obl. num. 21. & seqq.* quarum etiam remissio non ita nude & crudè procedit vide Montan. *d. l. num. 3. & seqq.* Hahn ad Wes. *tit. t. liber. legat. num. 3.* & ad Senct. Trebell. *num. 8.* Moller. *lib. 5. diff. 99.* Carpz. *p. p. const. XI. def. 8.* Tabor. in *Rel. Arg. 120. incip. Conrad.*

APHOR. XIX.

Restat explicandus tertius nodus, anne scilicet in ipsius heredis arbitrium legatum possit conferri? qui quidem articulus reliquis est intricatior adeoque distinctè erit procedendum. Primò, *personam* ex pluribus ejus beneplacito posse committi, patet ex *l. 16. l. 17. §. 2. l. 24. l. 25. ff. de legat. 2. l. unum ex 67. ff. de legat. 2.* quam ultimum integro commentario, subtilia serica serens bombyx Segura Hispanus illustravit, add. Cujac. *consult. 1.* Sic secundò, & tempus conferri potest, v. g. cum voluerit, *l. 46. §. 4. ff. de fid. libert. & tum juxta l. 41. §. pen. ff. de legat. 3.* illud dilationem habet quam diu velle potest is à quo legatum, hoc est, quam diu vivit: unde prono quasi flumine colligitur post ejus mortem relictum peti posse: interim vero id conditionale esse, adeo, ut, si ante heredem legatarius moriatur, illud extinguatur: *l. 11. §. 61 ff. de legat. 3. l. 12. §. 1. ff. de legat. 2.* Tertio potest in arbitrium heredis poni quantitas legati:

gati : *quantum volueris* : ubi tamen arbitrium boni viri videtur electum *arg. l. 30. ff. de legat. 2. l. 75. pr. ff. de legat. 1. l. 11. §. 7. ff. de legat. 3.* De dote legata vide *aph. XXIII.* Quarto, heredi potest relinqui electio quam rem velit dare, vel generaliter, *quem voluerit*, quo tamen casu servum furem dare nequit : *l. 110. ff. de legat. 1.* vel alternativè Stichum aut Pamphilum *l. 11. §. 1. ff. de legat. 2.* (ubi & de casu si ante heredis electionem unus moritur) Quinto arbitrium nubendi potest esse apud heredem, dote legata *l. 54. §. 1. ff. de legat. 1.* Vide *aph. XXVIII.* Sic & 6. summa alternativa, decem aut quindecim, item intra annum vel biennium, quo casu heredis est electio *l. 43. de leg. 2.* Ita 7. heredi potest committi ut Titio aliquam tribum emat. *l. 35. ff. de legat. 3.* ei alimenta præstet ; vel educet *l. ult. & pen. ff. de alim. leg.* vel ut eum artificium doceat : quo casu ut Pegasus putat, legatum, ob genus artificii non expressum, haud est nullum, sed prætor aut arbiter ex voluntate defuncti, & ætate, conditione, natura, ingenioque ejus ; cui relictum erit, statuet, quod potissimum artificium hæres docere suis sumtibus debeat. *l. 12. ff. eod.* Huc 8. facit, quod pro arbitrio pauperibus certam summam tribuere jussus, etiam sibi quid retinere possit, si sit pauper : Lopez. *de lucris marit. & uxor. cap. 9. num. 42.* cum aliis, is qui habet jus patronatus, licet idoneus sit, se ipsum præsentare non possit, quia nemo Ecclesiasticæ prælacionis officiis sese ingerere debent. *C. per nostras 26. X. de jure patron.* Porro 9. heredis arbitrio relinqui, vel plane remitti potest cautio legatorum solvendorum si forte dies nondum venerit aut conditio exstiterit *l. 1. Princ. ff. ut in poss. legat. caus. esse lic. l. 2. l. 7. C. ut in poss. legat. caus. mitt.* uti & (10.) idem de inventarii confectioe verum est, respectu legatariorum non respectu credito-

rum : quia prioribus etiam non potuit aliquid relinquere : Wissenb. ad ff. p. 1. disp. 57. th. ult. Monjan. de Tutel. c. 32. reg. 5. num. 100. & 104. Gothofr. ad l. fin. §. 1. C. arbitr. Tutel. Sic & cautionem fideicommissariam in gravati arbitrium ponere (cum plane remittere possit) testatori licet, prout & rationum redditionem remittere : circa quæ, aurea & notatu dignissima tradit Hahn ad Wes tit. Ad Sct. Trebell. & Pegasian. num. 8. ad verb. Nam planè hoc casu in Responso de anno 1649. mense Aprili. in quæstione 2. & 7. Adde Sand. lib. 5. tit. 3. def. 4.

APHOR. XX.

Nullam verò vim habet, illud legatum fideicommissumve, cujus præstatio ipsa, verbis, si volueris, heredis in arbitrium plenum est collata : l. 11. §. 7. ff. de legat. 3. l. 46. pr. ff. de fideic. libert. cum heres nunquam præsumatur velle obligari. l. 8. ff. de oblig. & action. Obesse videtur, l. 3. ff. de legat. ubi dicitur, si ita legetur, heres meus damnas esto dare, si in Capitolium non ascendit, utile legatum est, quamvis in potestate ejus sit ascendere vel non ascendere : Sed hunc scrupulum jam antevertimus remove in aph. XVI. unde constat tacite heredis arbitrio committi posse, licet non expressè, cramben itaque bis coctam non apponemus.

APHOR. XXI.

Quod si verò ex mente testatoris vel conjecturis aut verbis appareat, ipsam præstationem quidem in heredis voluntatem rejectam ; sed tamen ita ut non tanquam heres, sed tanquam bonus vir, nimium defixos in lucellum oculos non habiturus, & vel nutum testatoris (ut nobilis equus umbra virgæ regitur, cum ignavum ne calcaria quidem concitare possint, ut ad Bessum Cobares differit teste Curtio lib. VII. cap. 4.) observaturus

servaturus agere, debeat, legatum omnino subsistit
 v. g. si dixit, si fueris arbitratus, si putaveris, si aestima-
 veris, si utile tibi fuerit visum vel videbitur *d. l. 11. §. 7.*
 item fidei tuæ committo, si volueris, si voluntatem meam
 probaveris, si te meruerit quasi virum bonum, si te non
 offendit quasi virum bonum, si comprobaveris, si non
 reprobaveris, si dignum putaveris *l. 46. pr. & §. 3. ff. de*
fideic. liber. l. 75. pr. de legat. 1. Quod si hæres hoc casu
 non accuratè observet terminos boni viri v. g. in defini-
 enda quantitate, ad iudicem datur recursus, vide Affli-
 ctum *dec. 371. & Pacium cent. 5. quest. 3.*

APHOR. XXII.

QUod autem Seneca *lib. VII. Nat. Quest. cap. 23.*
 ait, venire solere tempus, quo ea, quæ nunc la-
 tent in lucem dies extrahat & longioris ævi diligentia,
 ac quod posteri nostri miraturi sint, tam aperta nos ne-
 sciisse; id sane etiam in dubiis novis exorituris valet.
 Nam si quis inspiciat brevissimam legem *43. §. 2. ff. de le-*
gat. 1. sane magnas illa turbelas faciet, nemini Interpre-
 tum adhuc, quantum vidimus, observatas. Verba sunt;
legatum in aliena (terti) voluntate poni potest, in he-
redis non potest. Hic, si per vocem *legatum* non
 ipsam præstationem ejus, sed modum, quantitatem,
 tempus &c. accipias, omne id quod *aph. XIX. XX. &*
XXI. diximus de heredis arbitrio, uno actu & ictu cor-
 ruet. Si vero ipsam legati præstationem intelligas no-
 mine legati, contradicent ea quæ *aph. XV.* sunt dicta.
 Nam, si in *d. §. 2. voluntas* accipitur, pro pleno *arbi-*
trio, hoc urgebit te, quod sic nulla esset differentia inter
 heredem & extraneum (quod tamen *ille §. vult*) cum
 nec in extranei nec in heredis talem voluntatem legatum
 conferri posse ex citatis textibus, maximè *l. 52. ff. de*
cond. & dem. & l. l. 11. §. 7. ff. de legat. 3. l. 46. pr. ff. de
fideic.

fideic. libert. pateat. Si verò *voluntatem* interpretaberis pro conditione (juxta *aph. d. XV.*) iisdem te laqueis implicabis, nam tali modo & in tertii *l. 1. pr. ff. de legat. 2.* & in heredis arbitrium, vide *aph. XX. & l. 46. §. 2. 3. ff. de fideic. l. legatum conferri potest*, & sic iterum oppositio cessat. Nos & hinc diem nobis diffindi nunc quidem petimus: forte tamen dici posset legatum, *ut conditionem* posse poni in tertii arbitrium, non in heredis: nam si in ejus arbitrium sit collatum, tunc juxta *aph. XX. & XXI.* aut *statim* non valet: aut *statim*, ut arbitrium boni viri, valebit, nec ergo futurus eventus, nunquam in ipso herede præsumendus, tanquam conditionis, erit, expectandus prout fit in tertio: quam quidem ad sententiam hoc facit quod in *d. l. 46. §. 3.* heredi non apponi dicatur *conditio*, sed *arbitrium*: cum in *l. 1. pr. ff. de legat. 2.* vox, conditionis, de tertio dicatur. Tu B. L. feliciter dubio occures! nos ad alium latifundii hujus agrum, nempe ad negotia inter vivos atque contractus, ex statutz Mercurialis *Aph. VII.* fixæ, demonstratione delabimur.

APHOR. XXIII.

HUjus vero comatis res vel fluunt ex jure *personarum*, vel ex jure *rerum*. Ex illo est dos, circa quam varii casus sunt discernendi. *Primo*, si pater dotem pro suo arbitrio definiendam, promittat, dos congrua videtur promissa: uti de hac re elegans est textus in *l. 69. §. 4. ff. de jure dot. Conf. Mevium p. 7. dec. 43. num. 6.* Idem obtinet, si in suo testamento dotem non expressa quantitate, sed ab herede, aliisve determinanda legavit: *l. 43. ff. de legat. 3. l. 14. ff. de dot. præleg. Afflict. decis. 337. & 371. num. 2.* ubi &, an ob iniquam determinationem reductio ad judicem locum habeat? tradit. Tale vero legatum perinde, ut, si quantitas dotis est

tis est expressa, tacitam habet conditionem, si nuptias celebret, *l. 71. §. 3. ff. de condit. & dem.* Struve *ex 35. th. 47.* quando vero illa sit impleta, vide Hahn ad Wes. *de dot. præleg.* Pacium *cent. 5. quæst. 47.* Carpz. *p. c. 13. def. 25.* Quod si verò 2. mulier aut extraneus dotem arbitrato suo promittat, illa promissio est nulla, unicum enim nummum dando liberaretur *l. 1. C. de dot. prom.* Strauch. *Disp. Inst. 3. §. 10.* Wissenb. *p. 1. d. 46. th. 13.* Stuv. *ex 30. th. 6.* Repugnat quidem obratiunculam de dotis favore desumptam, & *l. 3. C. de dot. promiss.* Bachovius, quem tamen ad incitas redigit Hahn ad Wes. *de jur. dot. num. 5. ex quo & Arumæo ad ff. disp. XV. quæst. 13. satisfieri potest.* Sin vero (3.) arbiter sit datus & nominatus ille definiet: Strauch. *d. l.* Idem juris (4.) est si ab extraneo dos indefinitè sit legata, nam tum illa arbitrio boni viri definienda est: *Afflict. dec. 337. num. 9.*

A P H O R. XXIV.

EX jure rerum id fluit, quod est ex contractu invicem celebrato. Atque hinc prima regula est, quod si ipsa obligatio in unius ex contrahentibus arbitrium sit relata, talis conventio vitio nullitatis sit affecta. Testatur id de stipulatione *l. 46. §. fin. l. 17. l. 108. §. 1. ff. de verb. oblig. l. 8. ff. de obl. & action. de emtione l. 7. ff. de contr. emt. l. 13. C. eod.* In hanc vero regulam non impingit illa conventio quando in emtione pretium, in locatione merces, &c. quicquid aliis placeat, in unius ex contrahentibus arbitrium conjicitur, hoc enim licet, & perinde est ac si boni viri arbitrium esset electum: *l. 6. ff. pro socio* antequam vero illud arbitrium fiat, nondum perfectus est contractus. *l. 35. §. 1. ff. de contr. emt.* vide Struv. *XXIII. th. 18.* ubi & dissentientes nominat. Sic valet illa conventio, vendo tibi servum, si meo arbitrio

rationes computaverit. *l. 7. pr. ff. de contr. emt. si meo, domini, arbitrio opus à te factum fuerit l. 24. pr. ff. locat. l. 77. ff. pro socio*, ut unius ex sociis arbitrio lucrum dividatur *l. 6. ff. pro socio*. Hect. Felic. de Societ. c. 7. num. 28. ut libertus tot det operas quot patronus sit arbitratus *l. 30. ff. de oper. libert.* Confer *l. 22. ff. de reg. jur. & ibi. Dd.* Simili modo valet illud pactum quo poteris rem dato pretio recipere quandoque volueris Struv. ex 23. th. 42. Wissenb. p. 1. Disp. 35. th. 30. Stichum aut Pamphilum dabo, Romæ aut Capuæ solvam; Domum aut agrum pignori habebis *l. creditoris arbitrio. ff. de distr. pign.* Nicol. in Proc. p. 3. c. 8. num. 16. Carpz. C. 1. 32. def. 8. Quin & hoc, dabo cum voluero, licet non illud, dabo, si voluero, quia conditio (*si voluero*) non est expressa, sed implicita *l. 46. §. 2. 3. ff. de verb. obl. l. 195. ff. de reg. jur.* vide Wissenb. ad *l. 217. ff. de verb. sign. th. 7.* imprimis notabilia tradentem Cujac. ad *l. 17. ff. de verb. obl.* ubi & de conditione, si volam. De cautione usufructuaria in usufructuarii arbitrium collata à contrahente; vide Aph. XVIII.

APHOR. XXV.

Singulare autem quid circa conditionem, *si voluero* in stipulatione, à parte stipulantis seu interrogatoris, obtinet, nam recte, ita ille stipulatur, dabis cum voluero arg. *l. 17. ff. de verb. obl. l. 46. §. 2. ff. l. 108. §. 1. eod.* nam ut legatum sic & stipulatio sunt unilaterales (quicquid contra moliatur Wissenb. ad *tit. de verb. sign. Disp. 9. th. 2.*) itaque quâ ex parte non constituitur obligatio, in eam recte arbitrium plenum refertur; adde Cujac. d. l.

APHOR. XXVI.

Quoad arbitrium tertii regula secunda est, contractum in tertii arbitrium posse conferri; Ita societas potest iniri, ex his partibus quas Titius arbitratus fuerit item

rit, item, ut Nerva, communis amicus partes societatis constitueret: *l. 75. l. 76. 78. 79. 80. ff. pro socio.* Hect. Felic. *d. l. num. 26.* Sic stipulari possum, ut mihi arbitrato Titii restituatur. *l. 43. ff. de verb. obl. l. 44. eod. locatio potest fieri, quanti Titius aestimaverit. l. 25. pr. ff. locati: ut & venditio l. fin. C. de cont. emt.* Requiritur autem ut tertius ille in specie sit expressus: *d. l. 25. & d. l. fin. §. 1. Inst. de emt.* Quod est contra idiotas, qui putant rectè contrahi emtionem, si circa pretium dixerint, quod de illo postea concordabunt, *ut satis ridicule ait Pinell. ad rubr. l. 2. C. de resc. vend. Parte 1. cap. 1. num. 4. & 5.* ubi addit, certæ personæ, judicem comparari. Nec obstat. *l. 1. §. 1. de legat. 2.* quod in boni viri arbitrio nulla sit mora: ex qua contrarium ausus est asserere nescio quis Fabia: Cui. *d. l. Pinellus respondet,* illud verum esse si certa persona sit quæ arbitrari debeat, *arg. d. l. fin. ibi nulla conjectura, utrum in personam an in boni viri arbitrium,* rectius responsurus si *d. §. 1. de testamento explicuisset, de quo & verba sonant.* Quid ergò statuendum de emtione sub forma duorum eligendorum, alterius à te, alterius à me? Sane, si juri civili, ut adscriptitii glebis adhærere velimus, talis contractus ob citatos textus, decempedæ & amussi juridicæ non quadrat: prout multis docet Pinellus *d. l. num. 6.* ubi idem de illa formula, *arbitrio unius à me emtore, eligendi,* asserit. Mores tamen hunc contrahendi modum, ad simplicitatem juris gentium accedentem, rectè admittere, nulli dubitamus, quicquid inter adversarios à Struvio *ex 23. th. 18.* adductus Vinnius credat; in hac opinione totus quantus absurdus. Ad quam speciem refertur ille modus, quo tempore autumnali, in multis locis vinum recens seu mustum datur emtori, *auff den Schlag:* seu quanti postea ab aliis aestimabitur, & solvetur: prout &

in patriis oris nostris, Hanovico tractu, fieri assolet, ubi
& advocati munere fungentes, illam speciem pro rostris
Juridicis defendimus: eo magis quod jura approbent il-
lam formulam, emtus tibi erit ager, *quanti ego eum emi:*
l. 7. §. 1. ff. de contr. emt. vel *quanti testator eum emit:*
l. 37. ff. eod. ubi de casu, si testatori donatus esset, agitur.

APHOR. XXVII.

QUod si tertius ille non arbitretur, non alii, aut boni
viri arbitrio, hic, ut in legato, locus est, sed pro ni-
hilo est negotium ut jam antevertimus monere *aph.*
XXVII. cui nunc addimus *Wissenb. ad l. 22. ff. de reg.*
jur. th. 8. Sin malè arbitretur, illi arbitrio locus utique
est: ut evincunt textus in aphorismi præcedentis ini-
tio allegati. Nec distinguimus cum *Pacio c. 5. quest. 3.*
aliisque inter contractus b. f. & stricti juris: *arg. l. 78.*
verb. eo magis. ff. pro socio. l. 30. ff. de oper. libert.
nec an juraverit quis, an non juraverit *d. l. 30.* qui enim ju-
rat stare præcepto statuentis hominis, eo sensu debet in-
telligi, ut juramentum non extendatur, nisi ad verisimiliter
cogitata, non ad id quod si cogitationi jurantis occur-
reret, verisimile est eum non promissurum *Amesius de*
cas. consc. lib. IV. cap. 22. §. 26. Sic qui jurato promi-
sit iudicio sisti non videtur pegerasse, si ex concessa cau-
sa hoc deseruerit. *l. 16. ff. qui satisd. cog. conf. Hahn ad*
Wes. de jurejur. num. 12. nota 7.

APHOR. XXVIII.

AD classem contractuum, matrimonium etiam re-
ferri potest, in quo tamen id speciale est, quod ne-
quidem testamento adjecta conditio, *si arbitrata Titii*
nupserit Seja, aliquid operetur; sed etiam si id non faci-
at tamen legatum dari ne nuptiis impedimentum infera-
tum *l. 72. §. 4. ff. de cond. & dem. conf. l. 6. ff. de spon-*
sal. A parente tamen id fieri posse ex *l. 14. ff. de dot. præ-*
leg. l. 54. §. 1. ff. de legat. 1. & l. 28. ff. de cond. & dem.
vide-

videtur concludendum : (perinde ut filius id in arbitri-
um patris potest conferre : *c. super eo X. de cond. ap-
pos.*) circa quas LL. tamen Cujacius , sanè majus quid
quam pueri in faba, se reperisse putat *Lib. XVII. obse. 22.*
cui addas *Wissenb. p. 2. disp. 8. th. 1.* Atque , arbitri-
um alteri ad matrimonium contrahendum datum , non
magnarum virium esse posse, vel ex eo patet , quod &
speciale mandatum datum, etiam inscio mandatario, &
licet res non amplius ex asse sit integra, possit revocari;
c. fin. de procur. in 6.

APHOR. XXIX.

Non solum autem aliquid circa contractum, tertii
arbitrio potest committi , sed & ipsa obligatio:
v. g. dabo si Titius voluerit , ut haectenus bene ait cum
allegatis *Moller. lib. V. cap. XI.* de quo cap. & supra;
Aph. XV. actum. Cui simile est quod ex quorundam
sententia post jus Pandectarum , scilicet *l. 61. ff. de pact.*
per jus Codicis scil. *l. pen. C. de pact. inter emt. & vend.*
correctum sancitur , pactum iniri posse, ne novo emto-
ri liceat in fundo vendito monumentum exstruere , ne
invito vicino praedium alienet : quale pactum maximè
valet, si alterius aliquo modo intersit : Vide *Joh. à San-
de de prohib. rer. alien. par. 4. c. 2.* Talis sortis pluri-
ma pacta adjiciebantur in servis vel ancillis vendendis:
*t. t. C. Si servus export. veneat. Si mancipium ita
fuerit alienatum, ut manumittatur vel ne manumit-
tatur.* ubi semper tertii est arbitrium : vel ad id alienatio
nova conferri potest. Aneps tamen quaestio est , an
dominium transferatur, si res per pactum contrahenti-
um alienari sit prohibita , in qua communis sententia in
affirmativam inclinatur : si credimus *Struvio. ex XXIII.
th. 28.* cui addas *Mevium. p. 2. dec. 300. num. 5.* *Molle-
rum lib. V. Sem. cap. 70.* *Wissenb. p. 1. D. 40. th. 25.*
Scoran. in Exam. p. 3. quest. mihi 407. 408. 409. seu in

explic. tit. C. de rebus alien. non alien. Quoad pactum tamen juratum dissentit Afflict. dec. 331. num. 3. 4.

APHOR. XXX.

Cortinam reduxissemus nisi, nescio quis, Cynthius aurem vellens admonuisset, sæpissimè in præcedentibus BONI VIRI factam mentionem, nec adjectum quis ille sit? Non est præcise judex, sed alius omnibus virtutibus instructus & ornatus, justus, fidus, innocens ut Cicero 5. *Tusc.* & 3. *off.* describit: vel qui justo trutinæ examine pensat - *Ne quid hiet, ne quid protuberet angulus æquis Partibus ut coeat, nihil ut declinet amissis*: Virgil. in carmine, Bonus vir: ille scilicet secundæ notæ, nam ille alter (nunquam aberrans) tanquam phænix anno quingentesimo nascitur: Seneca ep. 42. vide Cujac. 2. O. 2. Willenb. ad l. 22. ff. de reg. jur. Finiam, ubi de discursu meo dixero, quod de suo Magnus Seneca lib. 7. Nat. q. cap. 29. *Hæc sunt quæ aut alios movere ad Cometas pertinentia, aut me: quæ an vera sint Dii sciunt quibus est scientia veri: nobis rimari illa & conjecturare in occulto tantum licet, nec cum fiducia inveniendi nec sine spe.*



DISSER-

DISSERTATIO JURIDICĀ:
De
JURE CLAVIUM
ET
CLAUSTRORUM.
Vom
Schloß- und Schlüssel-Recht.

DISSELTATIO JURIDICA
DE RE GLAUCIA
CARSTORUM
AUCTOR
GOTTFRIDUS
1711





DE eo acturi sumus, teste frontispicio discursus, quod *circa claves & claustra* justum est. Justum illud vel est ex jure divino vel ex jure humano. Ex illo est quod Pastores habent jus clavium cœlestium, *Die Schlüssel des Himmelreichs* / ipso Christo docente *Matth. 16. vers. 19.* quæ omnibus Apostolis, non soli Petro *Ioh. 22. vers. 22. 23.* multo minus vero Pontifici Romano competunt: vide *Wendel. in Syst. Theol. lib. 1. cap. 28. th. 20. & c. & th. 32.* & ex *subsellis Politicorum Jac. Lampad. de rep. Rom. Germ. p. 1. §. 27.* quam sententiam Johannes Fonseca, licet Pontificius, defendit cum aliis in Synodo Tridentina: vide *Polani Hist. Conc. Trid. lib. VII. pag. mihi 541. & seqq. item p. 577.* Sed hæc consideratio potius est fori Theologici in cujus latifundia ire non est nostrum: itaque redimus ad jus humanum.

APHOR. II.

HUjus vero duæ sunt positiones, *publicum & privatum*: §. *ult. Inst. de just. & jur.* Ad illud spectat. i. celeberrima illa species, *apertura*, *Die Deffnung* / qua arx aliqua ea conditione datur, ut vasallus loco servitorum, tempore belli pacisve *claves* ejus permittat & aperiat *Rosenth. 2. concl. 78. num. 3. Wurms. de feud. improp. class. 3. sect. 20. num. 30.* Atque hoc jus ad superioritatem spectat territorialem: Unde & victori *claves* munimenti traduntur. Huc facit sententia die 9. Jul. 1659. lata in *Judicio Aulico in Sachen Münster contra Münster.* *In Sachen sich haltend zwischen Bürgermeister*

meister und Rath der Stadt Münster / und ihrem
 Landsfürsten / Herrn Christoph Bernhard / Bischoff
 zu Münster / seynd die an Seiten der Stadt übergebene
 Positiones, als unerheblich nicht zugelassen / und die sol-
 cher und anderer Ursachen halber gebetene Commission
 abgeschlagen; darauff die Sache von Ampts wegen für
 beschlossen angenommen / und allem Fürbringen nach zu
 recht erkandt / daß Bürgermeistere und Rath / das in actis
 eingeführte jus praesidii, zusamt dem JURE CLAVI-
 UM portarum, vallorum, murorum und Symboli sive
 tesserae militaris, in der Stadt Münster nicht erwiesen;
 sondern des Hn. Bischoffen / als ihres Landesfürsten
 und ordentlichen Obrigkeit / praesidium militare &c. In-
 terdum tamen fallit pede regula varo, cum etiam pacto vel
 alio modo detur: vide Struv. *Synt. Feud. cap. 4. th. ult.*
 Olim vero nulla civitas in fœdus Hanseaticum adspirare
 poterat, nisi quæ jus haberet portas suas aperiendi &
 claudendi, Wendel. *in Polit. lib. 2. cap. 27. th. 6.* Atque
 hinc fortè descendit mos, quod quædam civitates pro
 significanda libertate in insignibus claves habeant: uti
 de Wormatia constat: & venustum illud Oweni car-
 men *lib. 1. epig. 41.* testatur de Geneva: *Clavem aquila-
 lamque gerit duplex insigne Geneva: Illud Papatus
 hoc habet Imperii. Hoc insigne tuum quo jure Geneva
 tenebis: Si repetat clavem Roma, Rodolphus avem, cui
 geminum est illud, quod ut, mordax Satyræ acetum
 effudit in quendam, qui ambitiosè sibi finxerat insignia
 aquilæ & ursi catena columnæ alligatorum, Joh. Boni-
 facius in Tract. de Furt. §. corporalis 7. num. 47.*

Redde aquilam Imperio, Columnis redde columnam.

Ursinis ursum, sola catena tua est.

Interdum tamen (quod obiter) ex singulari Principis
 Romanis favore aquilæ insigne communicabatur, sed

ita

ita parce, ut & ipse Rex Romanorum non bicipitem sed simplicem aquilam haberet : quæ & postea aliis concessa : de quo fusiùs *Limnæ lib. VI. cap. 6. num. 28.* Illæ verò civitates, quæ vel Papæ favebant vel ei parebant clavibus utebantur in insignibus, uti exemplo est civitas Avinionensis : quæ cum Pontificis esse cæpisset tres claves assumpsit, cum antea sub Imperio alia haberet insignia : Idem. *d. l. num. 105.* (II.) Ut senior juniori præfertur in tabulis testamenti recipiendis aut custodiendis, *Meisch. Tom. 3. dec. 34. num. 2. 3. 4.* *Hect. Felici de Societ. cap. 40. num. 53.* *Myns. 4. O. 2. 3. 4.* *Gail. 2. O. 149. num. 9.* in collationibus dignitatum & aliis negotiis : vide late *Peil de Privil. sen. Priv. 10. 13. 26.* sic & prius genitus claves portarum debet habere *P. de Raven. ad l. 2. feud. 12. p. 142. adde Franc. Marc. 1. dec. 1138. num. 4. 5.* quemadmodum & sigillum defuncti & armorum insignia *arg. l. 77. §. 21. ff. de legat. 2.* (III.) Celebre est officium in sacro Palatio Cæsareo, *Der Kammerherren/* quorum insigne est clavis. Huc (IV.) pertinet, quod in *l. 12. §. 2. ff. de re milit.* dicitur, officium tribunorum est, vel eorum qui exercitui præsunt, milites in castris continere, ad exercitationem producere, *claves portarum* suscipere &c. adde *Feldman. Resp. Milit. 1. n. 3. 4. 103.* Claudant. (V.) hoc argumentum, janitores Cæsaris, seu *claves* ad ejus palatium interius custodientes, *Die Kammerthür-Hütter/* qui in casu investituræ accipiunt pro honorario 5. Imp. sicut *Die Ritterstubenthür-Hütter. 3. Imp. Bejer, ad Schnob. disp. feud. V. thes. 29.*

APHOR. III.

PRivatam jus subdividitur in *jus in re & ad rem.* Quo ad illud (I.) notandum est de clavium traditione, quod si quis mercès in horreo repositas vendiderit, simul atque

atque claves horrei tradiderit emptori *dominium* ei symbolica traditione, sit quæsitum *l. 9. §. 21. ff. de acq. rer. §. 45. trist. eod.* quod & in cella vinaria valet *l. 1. §. 21. ff. de acq. vel amit. poss.* modo illa loca sint præsentia; uti quidam *ex d. §. 21. & l. 74. ff. de contr. emt.* colligunt, Strauch. *diss. VI. aph. 39.* à quo abire videtur Struvius *ex 41. th. 57.* Unde fluxisse videtur ille ritus nuptialis, quod præter solennem deductionem, tres asses, fores ædium ornatas, januam unctam, aliasque plurimas solennitates, etiam *clavis* sponsæ fuerit tradita, ut scilicet ubi sponsus esset *Cajus*, ibi sponsam *Cajam* esse denotaretur: vide *Vultej. Ip. lib. 1. cap. 19. §. Ritus. &c.* Cæterum illa etiam clavium traditio utilis est in casu, ubi duobus res eadem est vendita: in quo casu, claves accipiens rei possessionem acquisivisse videtur. *Vide quæ seq. aph. XI. dicemus.*

APHOR. IV.

Quemadmodum verò dominium (unam juris in re speciem) & sic quoque alteram *possessionem* scilicet clavibus accipimus. *dd. t. X.* sic & tertiam scilicet *hereditatem* statim nostram facimus, cum *claves*, tanquam heredes recepimus, *arg. dd. textuum*: junge *l. 20. §. 1. l. 88. ff. de acq. vel om. her. ubi Hahn. num. 4.* Mevius *p. 4. dec. 173.* perinde ut per eas *pignus* propriè dictum acquirimus *§. 7. Inst. de action.* Unde constat possessionem, inter alios modos, etiam traditione *clavium* probari *l. 74. ff. cont. emt.* *Wissenb. p. 2. d. 19. th. 27.* post *Masc. Corvin. in enchir. p. m. 462.* ac per consequens pro ea defendenda alterius *claustrum* propria auctoritate possum confringere: *arg. l. 22. §. 2. ff. quod vi aut clam.* ubi *Gothofr.* etiamsi *judex*, inverso tamen juris ordine procedens, id appoluerit *Gailius 2. O. 76. & 1. O. 35. Christin. §. decis. 6.* Interdum & *judex* auctoritatem

tatem pro removendo clauſtro interponit, ut in decreto
 Conſiſt. Lipſ. de anno 1670. den 19. Octobr. verbis:
 Als begehren im Nahmen deß Durchleuchtigſten Chur-
 fürſten / etc. wir hiermit an euch / ihr wollet nicht allein
 beſagten N. N. daß er angelegtes Schloß also
 bald wiederum wegnehmen / und ſich deß libel-
 lirten Kirchen Standes enthalten ſolle/bey Straf 20. fl.
 Höchſtgedachtem unſern Gnädigſten Herrn zu milden
 Sachen zu verbüßen/aufferlegen und inhibiren; ſondern
 auch denen Kirchen Vorſtehern klagenden N. angeregte
 Stand zu St. Thomas gegen Erlegung der gebrauch-
 lichen Löſungs-Gebühren zuzuschreiben / und den ge-
 wöhnlichen Zettel darüber außzuantworten / andeuten.
 Quod ſi tamen quis vi aut clam, ferram *clavem* aut can-
 cellum vel ſpecularium abſtulerit; inimico adverſus poſ-
 ſeſſionem meam animo, alia actio, non verò inter-
 dictū quod vi aut clam, datur: *l. 9. §. 1. ff. d. 1. idque quia il-
 lud, ſolum, ſeu rem immobilem reſpicit: l. 20. §. 4. l. 1.
 §. 4. l. 7. §. 4. ff. eod.* Secus erit ſi *clauſtrum* ſit amotum:
l. 7. §. 10. l. 8. l. 9. ff. eod. Nec obſtat *d. l. 9. §. 1.* Ibi enim
 non *ſera*, ſed *ferra* legendum. Gothofr. *ib.* Si tamen non
 quidem *clavam* Herculis, ſed ſolūm *claves* quis habeat,
 illa vis, poſſeſſorem inquietum reddens, etiam armata
 dici poteſt: *§. 6. Inſt. de interdictis l. 41. ff. de verb. ſign.*
 ubi in terminis Wiſſenbachius videndus.

APHOR. V.

HÆc hætenus! in dubio tamen traditio *clavium*
 non prægreſſo titulo non videtur facta animo do-
 minii transferendi, ſed cuſtodix aliore; prout in termi-
 nis traditur in *l. 77. §. pater pluribus. ff. de legat. 2.* (de
 quâ etiam aph. XII.) Coſtalius in *l. 74. ff. de cont. emt.*
 Gothofr. ad *d. §. 21.* Atque hinc eò magis in pulvere
 forenſi merſus, clientem defenſi Titium, contra eum,
 G qui

qui, cum clavem domunculæ (quam nec noctua vellet esse suam) à suo patre prædefuncto, Titio datum videret, armis & parmis sustinebat, domum illam non pignori sed in solutum datam esse: quod, quemadmodum aliàs in dubio non præsumitur, sed rem potius pignoris quàm solutionis nomine datam: per textus & authoritates adducta à Menoch. *pres. 50. lib. 3.* Hahn ad Wes. *de pignor. act. num. 3.* Sic in hoc casu tanto minus dubii erat, quia non aderant illæ circumstantiæ, quas celebris Mevius in terminis terminantissimis deducit in Decisionibus aureis *parte 1. dec. 160.* In Sachen Schoners contra Michel Boltens Erben: & *p. 2. dec. 91.* ubi causa illa definitivè fuit decisa.

APHOR. VI.

HActenus de juribus *in re*, nunc ad alteram juris scenam, scilicet *ad rem* eundum est. Hujus iterum duo sunt fontes, *Contractus & Delictum*. Ex contractibus I. sese offert celeberrima species *emptio*: in qua notandum est, ædibus emptis etiam seras, claves, & claustra deberi, per expressum textum in *l. 17. princ. ff. de act. emt.* Wissenb. *p. 1. d. 37. th. 1.* Hinc est quod in legato *fundi cum instrumento*, instrumenti nomine non contineatur claves, quia magis domus portio quam domus instrumentum sunt, ait Ictus in *l. 12. §. 24. ff. de instruct. vel instrum. leg.* Porro dubitari solet in emptionibus servorum, si ædiles edixerint ut emptorem certiorum faciat venditor, quis esset *servus fugitivus*? Pluribus illud traditur in *l. 17. ff. de edil. edict.* ubi in §. 15. tandem dicitur: Apud Cælium scriptum est: liberti apud Patronum habitantis sic, ut *sub una clave*, tota ejus habitatio esset, servus ea mente ne rediret ad eum, extra habitationem liberti fuit, sed intra ædes patroni & tota nocte oblituit: videri esse fugitivum Cælius ait: plane si talem

talē cultodiam ea habitatio non habuit, & in ea cella liber-
tushabitavit, cui cōmune & promiscuum pluriū cellarū
iter est, contra placere debere Cælius ait & Labeo probat.

APHOR. VII.

EMtioni subjungimus *mutuum*; in quo sæpe fit ut
debitor ad flebile cessionis auxilium, tanquam ad sa-
cram anchoram confugiat. Hic non quidem jure civili,
arg. *l. ult. ff. h. t. l. 6. C. eod.* sed tamen moribus quæ-
dam solennitates, maximè ignominiosæ, multis in locis
sunt receptæ ibiq; vide Wesenb. *de cess. bon. n. 5.* Hahn.
Wissenbach. *p. 2. d. 21. th. 19.* imprimis Perezium cita-
tum à Schüzio in *Compend. Juris tit. de cess. bon.* quas
injustas judicat Wesenb. *d. l. quod indistinctè nos non*
assereremus. Inter hæc aliaque executionis solennia,
quadrupliciter clavis est negotium. *Primò*, cum heredes
nolunt adire defuncti patris hereditatem, solent id decla-
rare, *In dem sie den Schlüssel auff's Grab legen: Se-*
cundo; cedens omnia sua bona usque ad quadrantem
indicare & indicata relinquere debet. Hahn *d. num. 5.*
Natta *cons. 361. num. 8.* quod ut tanto sincerius fiat, an-
te omnia cedens omnes *cistas* aperire, omnesque *cla-*
ves dare tenetur: Brun. *de cess. bon. quest. 2. pr. num. 1.*
quest. 7. quart. quest. 11. num. 1. Strach. *de Decoët. p. 7.*
num. 14. Mevius *ad Jus Lub. lib. 1. tit. 3. art. 1. num. 19.*
Quod si sit suspectus, torturæ etiam locus est, si credi-
mus Rennem. *Ip. Rom. Ger. tom. 2. d. 53. th. 14. in not.*
Tertio, Jure Saxonico in arbitrio creditoris est utrum de-
bitorem ad beneficium cessionis admittere, an vero man-
cipio eum velit accipere: *Er mag ihn in seinen Schloß-*
ferre halten als einen Schuld-Gefangenen. Hahn. *d. l.*
num. 3. quod tamen non in tota Saxonia obtinet Sruv.
ex. 44. thes. 32. *Quarto* notum est executionem à mo-
bilibus debere incipere: Wehn, *in obs. pract. & Speidel.*

verbis : *Fahrende Haab und Güter*. Berlich. p. 3. *concl.* 30. cum verò sæpius debitores fraudulentè, imminente executione, bona mobilia occultare soleant, ideò illi eorumque uxores *feras* & ferramenta *forium atque ci-starum*, aliorumque receptaculorum, quibus asservari solent mobilia, aperire tenentur: qua in re sæpe etiam juramentum defertur, nisi illi habeant immobilia, quo casu ob perjurii metum juram. cessat: Coler. *de proc. ex.* p. 3. c. 9. *num.* 46. & *seqq.* Berl. p. 1. *concl.* 81. *num.* 75. Carpz. i. C. 32. *def.* 30. Nicol. in *Proc.* p. 3. *cap.* 8. *num.* 20.

APHOR. VIII.

Pergimus ad *societatem*: illa vel religiosa est vel civilis. Quoad illam, ut Abbas monasterii, Rector Magnificus Consistorii, &c. | sic ostiarius ecclesiæ habet *claves*, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia quæ sunt intus extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles excipiat. *dist.* 25. *can.* 1. §. *ad ostiarium*. Civilis societas dividi potest in majorem & minorem: illa v. g. est civitas, in qua *claves* curiæ & ærarii pro diversitate locorum huic vel illi competunt. Hanc quod spectat, v. g. collegium aliquod minus seu tribum, aut societatem inter aliquos, vel etiam duos, ibi celebris est *arca communis*, *Die Zunfft* oder *gemeine Lade* / cujus *claves* aut potioribus, aut omnibus sociis dantur, vide *l. 1. §. 1. ff. quod cujus univ. nom. l. 82. ff. pro socio*, ubi de pecunia in talem arcam illata: adde HeEt. Felic. *de societ. cap.* 30. *num.* 7. Struv. *ex.* 22. *th.* 44. Losæum *de jur. univ.* & Mevium *ad jus Lubec.* passim.

APHOR. IX.

Succedit *donatio*, ubi ex jure Saxonico notandum posse feminam geradam, quæ alias ea defuncta, ad
proxi-

proximam cognatam veniret, licet non *ultima voluntate*, tamen *donatione inter vivos*, in alium quemlibet, præter maritum transferre: vel extrajudicialiter, ut in præsentia Notarii & testium, *cista vel capsâ presentis claves tradantur*: vel judicialiter, ubi & ipsa illa *clavium* traditio, præter alia requisita, est necessaria: Struv. *ex. 40. th. 6.* Hahn ad *Wes. de donat. int. vir. & uxorum. V. ad verb. Ego malim indistinctè*:

APHOR. X.

IN deposito quoque, nostri argumenti vestigia inveniuntur. Si *cista* claustrò munita & signata sit deposita, deponens vero dicat, non omnes res inveniri in *cista*, nec tamen id probare possit, interest, an benè clausa reddatur, an non, sed signum adsit vis adhibitæ: *Priori casu* depositarius non tenetur; quod & tunc verum est, si *cista* quidem aperta reddatur, sed malè clausa fuit, ita ut sine facto hominis violentiore aperiri potuerit. *Posteriori casu* præsumtio est contra depositarium, quod per ipsum aut ejus culpam latam furtum contigerit, inde deponens admittitur ad juramentum, modò ejus conditionis sit, ut verosimile sit, eum res tales, quas enarrat habuisse: nam si alius sit, *lupinos* potius quam *uniones* in ea fuisse credendum est: interdum tamen & depositarii juramento locus est: vide Hahn. ad *Wes. tit. depositi. n. 4.* Wissenb. *ibid. th. 18.* Struv. *ibid. th. 41.* Cæterum si *cista* deposita sit *claustrò & signo* munita, utrum *cista* tantum, an etiam species *actione depositi* petantur, licet eas res non viderit depositarius, vide *l. 1. §. 41. ff. depositi.* & Gothofr. *ad d. §. 41. ut & ad. §. 5. d. l. 1.* Quibus simile est, quod *caupo*, traditis *clavibus* scrinii vel cubiculi, in quo hospes res suas recondit, non sit statim liber ab actionibus ex *edicto de tribus nebulonibus*, (ut Alciatus *edictū, nautæ, caupones stabularii &c.* vocat) possunt enim

alio fine illæ esse datæ, verbi gratiâ, liberioris usus causâ. Si tamen eo animo datæ sunt, quod caupo, quemq; rem suâ servare debere, velit significare & prædicere, & viatores protestationi illi vel *expressè* vel *tacitè* consentiant, caupo liberatur; arg. l. 7. pr. ff. naut. caup. stab. nam si dissentiant, ex re immissa nihilominus obligatio oritur. d. l. 7. Confer Struvium ad d. tit. thes. 17. Wissenbach. ibid. thes. 25. Hahn. ad Wes. ibid. num. 5. Arum. ad ff. disputat. 24. quest. 8. Rebuff. tr. de Hospitio num. 10. Stamm. de Serv. Perf. lib. 2. cap. 16. num. 2. Costal. ad l. 74. ff. de cont. emtion.

APHOR. XI.

IN locatione conductione quoque clavem traditam consensum probare, extra controversiam est, perinde ut ejus restitutio conductorem ab ulteriori obligatione liberat, unde, ne inquilinus teneatur ad pensionem pore pestis, ex hac (vel alia justa causa) etiam ante tempus migrans, *claves* sine mora domino reddere debet, uti id post Sanctum Severinum, Sanctum Nazarium & (tertium Sanctum.) Johannem Baptistam, pro singulari cautela suggerit Thom. Grammaticus ad Afflicti dec. 258. lib. b. Conductorem quoque *claves* sibi exhibitas vel novas teneri finito locationis tempore restituere clarissimum est, ex l. 48. §. 1. l. 11. §. 2. ff. locati. quod si initio locationis non sint traditæ, ille tamen conficiendas eas curaverit ad conclave, ex conducto agere potest l. 55. §. 1. l. 61. pr. l. 19. l. 19. §. 4. eod. Maximi quoq; momenti est in locatione traditio clavis, nam si v. g. domus duobus sit locata, & posteriori *clavis* tradita, ille priori, quicquid putet Zoesius cum Phalange sociali ad tit. locati num. 6. est potior arg. l. 15. C. de rei vendic. & ibi Jason. n. 32. Ant. Gram. dec. 130. Scheff. 2. quest. 8. Aurumæ ad ff. disp. 8. qst. 17. ubi

ubi & ad *l. 26. ff. locati.* respondet, rem ibi non esse traditam: sed rectius illa de locatione operarum explicatur. Et licet quidam sint qui *d. l. 15.* de ipsius rei traditione & quidem vera, non ficta aut Symbolica intelligant, ad quorum partes vergere videtur Gothofr. ad *d. l. 15. lit. h.* verius tamē est, idem esse, sive res sive ipsa est tradita sive instrumentū: per clarissimum textum in *l. 1. C. de donat.* quam & ipsam timet Gothofr. *d. l.* non obstante *l. 1. pr. vers. signata tamen & c. & §. 2. ff. de peric. & comm. rei vend.* quæ non de omni re, sed de vino vendito agit, quod post degustationem demum plenissimè traditum videtur: Struv. *ex. 23. thes. 101.* præsertim cum & signatio non animo tradendi, aut accipiendi, sed ne vinum aqua corrumpatur fieri possit, ut in *d. l. 1. §. 2.* dicitur expressè. Diversum tamen quid esse in Principe vendente vel locante tradit Gail 2. *O. 55.* cui non omnes hoc in puncto album calculum adjiciunt, quamvis id faciat Arumæ. *disp. ad ff. VIII. quest. 18.* consentientes Covarr. Zas. & Hart. Pistor. adducens; & Wissenb. ad *d. l. 15.* in fin. Denique sciendum est, si inquilinus non solvat pensionem, posse dominum locantem vel domum sua *clavi aperire*: & coram personis publicis res describere, aut injecto *claustro* eas præcludere: *l. 56. ff. locati.* Struv. *ex. 24. thes. 13.*

APHOR. XII.

Quoad *mandatum & familie communionem* sciendum est, quoad illud, traditione *clavis* regulariter nil nisi *mandatum custodiæ* præsumi: quoad hanc verò, si uni heredum *clavem & annulum* pater dederit moriens, exinde illum nihil prærogativæ sibi posse tribuere. Utrumque illud apparet ex *l. 77. §. 21. ff. de leg. 2.* ubi Papinianus: *Pater pluribus filiis heredibus institutis, moriens claves & annulum, custodia causa, majori*

natu filia tradidit, & libertum eidem filia, qui praesenserat, res quas sub cura sua habuit, adsignare iussit, commune filiorum negotium gestum intelligebatur, nec ob eam rem apud arbitrium divisionis praecipuam causam filia fore. Confer Costalium in l. 74. ff. de contrah. emt. Cæterum, cur pater dicatur *claves & anulum dedisse*, nemo intelliget, nisi antiquitatum Historicarum, Romani Imp. peritus; quo in scientiæ genere eminent multa lumina eruditi orbis: vide de *clavibus*, earum generibus nec non de *ratione claustrorum* sive claudendi agentem Casaub. ad Æneam Tactic. cap. 18. 19. 20. Salmas. exerc. Plinianis pag. 925. & seqq. imprimis qui omnium luminibus offecit Lipsium, primum condum antiquitatum stupendum & rituum Romanorum accuratissimum Delium natatorem; in Excurs. ad lib. 2. Taciti: lit. B. ubi & annuli & clavis formam habes depictam, qualia in Batavis eruta narrat; *anulum* ad claudendum, *claves* ad aperiendum fecisse addens.

APHOR. XIII.

Hucusque facta *licita*, sequitur ut ad *illicita*, *Delicta* scilicet transeamus. Hic quidem in promptu esset celebris ex jure Romano distinctio criminum in *publica, privata, & extraordinaria*; sed quia per praxin modernam, ut constat, hæc vel illa species in aliam classem est relata, quin imo, ex aliorum sententia per jus Canonicum, ipsa illa divisio proscripita Strauch. *diss. 29. aph. 1.* inde eam quidem nunc, tanquam *helicen & cynosuram* non tam accuratè sequemur ipsi potius rei quam methodo intenti.

Primò itaque sciendum est, furtum quemadmodum aratri, sic & *claustrorum* horti jure gentium esse majus & punibilius. Ita ex jure Divino patet furtum de pascuo quam

quam de domo gravius punitum Exod, 22. vers. 1. & 9.
 Apud Scythas, teste *Iustino*, nullum scelus furto gravius
 punitur, quippe sine tecto munimentoque pecora &
 armenta habentibus, quid salvum esset si furari liceret:
 Cui simile est illud *Aristotelis sect. 29. problem.* Legis
 autor cum sciret illis in locis res suas dominos custodire
 non posse, custodem legem apposuit: & *Ciceronis pro*
Rosc. Amer. Ea sunt animadvertenda peccata maximè
 quæ difficilimè præcaventur. Quo enim dulciora sunt
 invitamenta, eò acriora remedia, ob exempli necessita-
 tem, sunt necessaria: *Grotius de B. & p. lib. 2. c. 20.*
num. 34. 35. & quo major est delinquendi facultas & oc-
 casio eo majori pæna quisque in officio est coercendus
Wissenb. p. 2. d. 31. thes. 17. atque inde furtum noctur-
 num, gravius iudicatur: *l. 1. ff. de furib. baln.* Et ex
 his omnibus credibilius sit quod *Cujacius in Parat. de*
abigeis. & 6. Obse. 8. atque eum sequens *Gothofr. in l.*
ult. pr. ff. de abigeis: tradunt, & autoritate Græcorum
 aliisque rationibus confirmant, in *d. l. ult. pr. non ple-*
nus, sed lenius legendam, ut ut atro eam correctionem
 carbone notet *Wissenb. d. disp. 31. thes. 17.* quod tamen
 pace *Manium* piorum tanti viri dixerim.

APHOR. XIV.

PORRÒ quæri posset, qua pænâ puniatur is, qui clau-
 strum confringit? Respondemus, animum ut alibi
 sic & hîc maleficia distinguere: si animo lucri faciendi
 fuerit factum, furtum est: uti de arca refracta ad unio-
 nes rapiendos tradit *Ictus in l. 22. §. 1. ff. de furt.* (non-
 dum tamen quis fur est ante contrectationem, licet con-
 clave effregerit furti consilio: *l. 21. §. 7. eod.* sed tum in-
 juriarum aut de vi agitur. *d. §. 7.*) quod si sine animo
 lucrandi, sed solum nocendi animo id factum ex, *L. A-*
quilia agendum §. 13. Instit. de leg. aquil. l. 27. §. 31. ff.
G 5
eod.

eod. quemadmodum si seruo compedito claustrum ex misericordia ruptum fuerit, ut fugeret, in factum agendum est: §. *ult. Inst. d. t.* Interdum & ex fractura claustrum actio injuriarum descendit, vel sola, vel cum actione L. *aquil. vide l. 53. pr. ff. de furt. l. 34. pr. ff. de oblig. & action. d. l. 27. §. 17.* & Gail. *t. O. 63. num. 9.* Myns. *t. O. 25.* De eo qui in possessione turbat, vide *præc. aph. IV.* adde *t. t. uti possidet & utrobi.* De eo qui meretricis fores effringit libidinis causa, agit. *l. 39. ff. de furt.*

APHOR. XV.

Quid si quis claves adulteras sciens fecerit, vel commodaverit? Et textus apertus est in *l. 54. §. 4. ff. de furt.* eum qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum ejus consilium principaliter ad furtum faciendum interveniret, tamen furti actione teneri Conf. *l. 50. §. 1. 2. 3. ff. eod.* Nemes. *Carolin. art. 177.* & ibi Dd. *Arumæ. ad. ff. diff. 24. quest. 3.* Wissenb. *ad l. 53. ff. de verb. Sign. imprimis Carpz. Pr. Crim. p. 2. quest. 87.* ubi quoad hoc argumentum, spumat plenis vindemia labris, præsertim *num. 17. 18. 19.* Huc facit quæstio, an *claves adulterinæ* inventæ apud aliquem, locum faciant vel inquisitioni, vel torturæ, de qua vide Menoch. *lib. V. præsu. 31. num. 17.* Const. *crim. art. 43. §. Item so der / etc.* Carpz. *p. 3. quest. 122. num. 52. 53.* qui in terminis terminantibus eam quæstionem accurratè examinat, imprimis personæ qualitatem respiciendam judicans.

APHOR. XVI.

Illud extra omnē dubitationis aleam est positum, furtum illud, quo claustra vi rumpuntur aperiunturve improbius esse: Const. *Crim. art. 159.* & ibi Dd. *l. 1. §. 2. ff. de*

de effr. at si furtum fiat per clavem adulterinam, illud pro
 effractione non habendū, ut rationibus & præjudiciis do-
 cet Carpz. *pr. cr. p. 2. quest. 79. num. 40.* Sic & illud
 crimen, cum *clave* adulterina aliove instrumento clau-
 strum carceris, effugiendi causa, aperitur abs reis, gra-
 vius est; in tales enim amplius quam causa ex qua rece-
 pti sunt reposcit, constituendum est, quamvis inno-
 centes inveniantur ex eo crimine, propter quod impacti
 sunt in carcerem: *l. 13. ff. de custod. & exhib.* adeo ut et-
 iam capite puniantur: *l. 13. §. 2. ff. de re mil. l. 38. §. 11.*
ff. de pœnis l. 1. ff. de effract. & ad hunc tit. Dd. De pœna
 verò hodierna agit Carpz. *Prax. crim. 3. quest. 111. n. 96.*
Hahn. tit. de effract. num. 1. Quod si verò quis *clau-*
strum confringat & ab hostibus fugiat ad suos, ille non
 pœna sed laude dignus est. *l. 26. ff. de capt. & postl. rev.*
 Quod dictum, effractorem carceris gravius puniri, fal-
 lit, cum non tam vi quam negligentia custodum, car-
 ceris colonus excessit, evasit, erupit, Struv. *ex. 48.*
thes. 107. qui custodes (quod in transcurso monemus)
 olim dicebantur à *clavibus* gerendis, *clavicarii*, vide
 Brisson. in *Lex. Græcos Interpr. in l. 8. ff. de custod. &*
exh. Julium Firmicum *lib. 1. Mathes. cap. 6.* (quo no-
 mine, vel etiam claviculariorum aliàs veniunt, clavium
 confectores in *l. 1. C. de excus. artif. lib. 10.* Calvin. in
Lexic.) quod veriùs est, quam illud commentum Alci-
 ati ad rubricam tituli Codicis. *De pratoribus & honore*
pratura & collatione & gleba & folii & 7. solidorum
functione sublata; & Forcatuli 8. Necyomantie 5.
 Prætores olim magistratum ineuntes à provincialibus
 solitos fuisse accipere, præter follem & glebam, etiam
clavem in signum potestatis & symbolum atque inum-
 brationem, æris mobilium & immobilium collationis
 sibi per tria verba efficacissima *do, dico, addico*, con-
 cessæ

cessæ : quas meras nugas appellat Gothof. *ad dietam rubricam* : nam quod ad clavem , illius in melioribus quidem codicibus , nulla in rubro , multo minus in nigro fit mentio (quamvis quoad illud dissentiat in Lexico , Calvinus voce , *clavis*) & voce folii , sive pholi, aut folli , genus nummi indigitatur.

APHOR. XVII.

QUod si quis non ultra venerit , quam quod cogitaverit sibi comparare clavem adulteram ad furtum : non punitur , quia regulariter nec jure gentium Grot. d. I. b. & p. lib. 2. cap. 20. §. 30. 39. nec jure civili aliquis cogitationis pœnam in foro soli (nam in foro poli aliud est & valet , illud Senecæ s. *Benef. 14. Latro est , etiam antequam manus inquinet , quia ad occidendum jam armatus est , & habet spoliandi & interficiendi voluntatem*) patitur l. 18. ff. de panis. Idem obtinet , licet jam clavem talem sibi comparaverit & secum gestaverit , sed postea pœnituerit : uti arg. l. 65. ff. de furt. tradit Hahn ad Wes. de furt. num. 4. Quod si clavi conclave aperuerit furti consilio , nec tamen aliquid surripuerit , fur nondum est , aliis tamen actionibus tenetur l. 21. §. 7. ff. eod. quia talis actus , perinde , ut si scalam ad fenestram posuit , si ostium fregit, est delicto propior Struv. 48. thes. 5. adeoque sua natura punibilis Hahn d. l. Sin illa omissio , non ab interno principio sed ab externo venerit , si nempe divinitus immissis obstaculis , v. gr. per dominum supervenientem & impredientem , fuerit à furto remotus , pro qualitate facti , & ut actus delicto propior est vel remotior , ob clavem jam applicatam punitur : *Peinliche Halsgerichts Ordnung. art. 178. & ibi Dd.* Huc facit,

facit, illud Senecæ. 6. Ben. 8. Quid si pernicioſa illorum conſilia, fortuna deflexit in melius, an exiſtimas me debere ei quicquam, cujus manus, cum me peteret, percuffit hoſtem, meum, qui nocuiſſet niſi erraſſet, & Tr. in ſapientem non cadere injuriam. cap. 7. Aliquis mihi venenum dedit, ſed vim ſuam remixtum cibo perdidit: venenum illud dando, ſcelere ſe obligavit, etiamſi non nocuit: non minus latro eſt, cujus telum, oppoſita veſte eluſum eſt.

APHOR. XVIII.

EX facto quaſitum meminimus, quale crimen ille committat, qui formam clavis, arcis vel propugnaculi alicujus, ceræ impreſſam hoſti miſerat? Quale? niſi perduellionis, ſeu majeſtatis; hoc enim committit is, cujus opera vel conſilio provincia vel civitas hoſtibus eſt prodita l. 10. ff. ad leg. Jul. majeſt. vel qui facit ut armati homines in urbe ſint aut locum occupent l. 1. §. 1. l. 3. eod. Et hæc reſ eò minus dubii habet quia etiam majeſtatis reus is eſt, qui hoſti nuntium, literas, NB. Signumve miſerit, ut Ulpianus in d. l. 1. §. 1. expreſſè aſſerit. Et quidem ſi Capitaneus vel milites id fecerint, pœna exaſperatur l. 7. §. 4. ff. d. t. cum hi ad id prohibendum ſint conducti. Sic & majeſtatis regulariter reus is eſt, qui privatus, privato clauſtrum injicit: l. un. C. de privat. carc. quam latiffimè explicat & reſtringit Struv. ex. 49. theſ. 16.

APHOR. XIX.

Titius Sejum clavi necavit, an propterea pœna homicidii doſoſi ordinaria puniendus? Et Divus Hadrianus in terminis reſcripſit, eum qui hominem occidit, ſi non occidendi animo hoc admifit, abſolvi poſſe: & qui hominem non occidit, ſed vulneravit, ut occidat, pro homicida damnandum; atque ex re conſtituendum hoc;

hoc: nam si *gladium* strinxerit & eo percusserit, indubitate occidendi animo id eum admisisse: sed si *clavi* percussit, aut cuccuma in rixa, quamvis ferro percusserit, non tamen occidendi animo, leniendam pœnam ejus, qui in rixa casu magis quam voluntate homicidium admisit: verba sunt Marciani in *l. 1. §. 3. ff. ad leg. Corn. de sic.* ubi Weseimb. *num. 9.* & ibi Hahn (quamvis vocem, *clavis*, paulo aliter accipiat Cujac. *15. obsc. 27.*) *l. 5. C. eod. l. 6. §. 6. ff. de re milit. c. 18. X. de homicidio*, ex quibus legibus idem de lapide asserit Moller *1. Sem. 33.* limitat tamen Montanus in tractatu de tutelis *cap. 3. n. 7. pag. mihi. 20.* nisi quis alterum percussit in capite: quod & ipsum considerat Moller *d. l. quemadmodum & Wissenbach.* in terminis scribit, ad *l. 41. ff. de verb. sign.* circumstantias probè perpendendas: citato Gomezio *var. res. 3. resol. 3. n. 17. &c.* De jure Divino videatur Num. *XXXV. vers. 17. 18.* nam *Levit. 24. vers. 17.* quem citat Wissenb. *d. l.* parum facit ad hunc rhombum.

APHOR. XX.

Duo sunt coheredes & in hereditate *arca* communis, quam habet extraneus quidam: in *arca* sunt quædam res mobiles, quarum inspiciendarum copiam ille extraneus fecit, sed *claves arca* tradidit uni ex coheredibus, unde quæritur si ille *arcam* cum rebus omnibus retineat in solidum, an alter, cui non est tradita possessio, ei posset intendere crimen expilatæ hereditatis? Id aperte negatur in *l. 1. C. de crim. expil. hered.* si Cujacio *20. O. 27.* talem facti speciem noviter ponenti assurgimus; idque quia illud crimen locio rei communis nequit intendi *l. 3. C. famil. heretisc.* cum plerumque credendum sit, eum qui partis dominus est, jure potiùs suo uti quam furti consilium inire voluisse *l. 51. ff. pro socio* quæ tamen

tamen præsumtio cessat, si manifestè constat de dolo malo & quod celandi animo contrectaverit socius, ad-
 eoque & tunc etiam furti agi potest: *l. 45. ff. d. t. Pe-*
rez. tit. expil. hered. n. 5. Carpz. p. 2. qst. 83. n. 83. Unum
 adhuc est quod in hac materia *clavium &*
claustrorum dicam, nempe

CLAUDITE jam rivos pueri sat prata
 biberunt!


F I N I S.




1

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side. The text appears to be organized into sections, possibly including a title or heading at the top, followed by several paragraphs of text. The ink is dark but very faded, making the words difficult to discern. The paper is aged and shows signs of wear, including discoloration and some staining.







No 2332,



ULB Halle 3
005 130 530



Handwritten blue ink scribble







**PHILIPPI
ZAUNSCHLIFFERI,**

Indici, ac Professoris Eloqu. & Histor. Ordin.
Juris verò Extraord. in Academia Marburg.

ILES TOGATUS,

Id est:

ursus, de militum & advocatorum,
bonorum, tum malorum, summa similitu-
dine in omnibus; ad filium nobilissimæ

XIV. C. de advoc. div. judiciorum

Cui accessit biga Diatribarum Juridicarum:

PRUDENS AC JUSTUS

ARBITER PRIVATUS,

Seu

ussio, de difficilima materia, quid
s sit, si res aliqua in tertii privati, vel unius ex
artibus arbitrium est rejecta? in contractu vel
ultima voluntate, extra judicium
vel in eo: &c.

**DISSERTATIO JU-
DICA DE JURE CLAVIUM
ET CLAUSTRORUM:**

Dom

Schloß- und Schlüssel-Recht.

MARBURGI CATTORUM;

& sumtibus JOHANNIS HENRICI STOKENII.
ANNO M. DC. LXXXIV.

